ANTONII
SEBASTIANI
MINTVRNI
EPISCOPI VXENTINI,
DE OFFICIIS ECCLESIAE
PRÆSTANDIS,
Orationes Tridentinæ.

Habes hîc omnia, quæ per sexdecim ferè menses PIO IIII. *Pont. Max. in S. Synodo Tridentinâ disceptata sunt: nempe an iure diuino Episcopia munera teneantur, Episcopi instituantur, utrâque potestate afficiantur, Presbyteris præficiantur, residêre denique cogantur.*



VENETIIS, *apud Io. Andream Valuassorem.*
M D LXIIII.

ILL.^MO CLAVDIO FERNANDO QVINONIO COMITI LVNENSI, REGIS CATHOLICI *apud Concilium Tridentinum Legato*,

Antonius Sebastianus Minturnus, Episcopus Vxentinus.



AM *menses sexdecim sunt, cùm disceptari in Concilio cœptum est, quo iure Episcopi in suâ quisque diœcesi residere cogantur. Accessit deindè de Principibus Ecclesiæ disceptatio: quorum auctoritas decem menses agitata est: cùm in controuersia poneretur, an à* CHRISTO *Domino essent instituti, & potestatem Christiani cœtus regendi haberent. Vtrâque de re ad decernendum consessus Antistitum sæpe indictus est; sæpe etiam dilatus. Ac planè adhuc esset incerta dies decernendi: nisi* PIVS IIII *Beatiss. idémque sapiẽtiss. Pontifex Maximus Ioannem Moronum Amplissimi S. R. E. collegij singulare decus, qui Concilio præsideret, legasset. Intereà, cùm iam quotidiani conuentus haberẽtur, ac suam quisque sententiã diceret longiore interdum, quàm tempus ferebat, oratione: quæ breuiter disserui; tum vt, quod sentiebam, probarem; tum vt, quæ, qui contradicebant, disputauerant, refutarem; constitui more declamatorio longiùs me esse prosecutu-*

 rum.

rum: quando enim iterum & sæpius utraque res ad disceptandum proposita est; & mihi identidem, ut cæteris omnibus tractanda fuit; uisa est postulare, ut non unâ dictione pro se declamarem: etiam si nō semel idē esset mihi repetendum. Itaque sex scripsi orationes ad sententiam septuaginta Patrum defendendam; in qua steteram, donec sacrosanctum Concilium decerneret, permanere. Quas, cùm multi sanctissimi Antistites, ipsíque doctissimi, ut ederē, hortarentur; tum ipse, QVINONI *Princeps amplissime, etsi etiam atque etiam suadebas, qua tamen plurimùm apud me uales auctoritate, imperare uidebaris. Quamobrem, cùm parêre in animum induxissem, editionē quidem differendam decreui; quousque perspectum esset, quid sancta Synodus constitueret. quippe cuius iudicio, nihil unquam cogitatione sim complexus, nihil unquàm in medium protulerim, quod non planè subiecerim: nihil iam animo, nil uerbis comprehendam, quod non libenter subiciam: nihil denique sim cōprehensurus, quod subiectum non uelim. Eius decreto, cùm ferè, quæ egomet poscebam, disertè statuantur; admota mihi ad edendum calcaria uidentur. Cogitanti autem, qui esset deligendus; cuius nomine protectū opus in lucem prodiret, multa in mentem uenerunt; quæ, ut hoc tibi dicarem, admonebant. Nam, si ad* QVINONIOS *Maiores tuos spectabam, Regibus Hispanis nō modò propinquitatis necessitudine cōiunctos, sed & ante eius Regni proceres omnes alios cariores, nihil in omni Hispaniâ genere tuo nobilius occurre-*

curre-

curreбat: si ad res eorum gestas, nihil illustrius: si ad maximas illas animi ingeniiq; uirtutes, quæ in te uno, quasi clarissima sidera, cùm in aliquam cœli splendidam regionem conuenerunt, præfulgent, nihil iis præclarius: si ad hæc omnia, nihil mirabilius, nihilque præstantius. Is enim profectò es, qui meritò Principum doctrinâ, studiisq; optimarum artium eruditissimus; eorum, qui literas profitentur paterni materniq; sanguinis claritate, & rerum gestarum gloriâ nobilissimus haberis. Quas ob res mirificè laudandus est PHILIPPVS *ille Rex Maximus, & potentiss. quo permulta secula nihil maius uiderũt; in quo nescias, utrum magis emineat, Regiúmne decus Regalium omnium uirtutum præsidio munitum, an pietas Christiana: quæ tantò plus ei gloriæ parit, quàm potentia; quantò ante reliqua omnia ornamenta, quæ in summum uirum ac potiùs heroem cadunt, plus laudis splendorísque obtinet: cùm inter proceres tam multos, atque ita illustres, quibus abundat Hispania, te unum elegerit, quem Legatũ ad Concilium mitteret. Legatum non uulgari laude dignum apud* CAESAREM, *quo nondum alterum augustiorem, magisque pium uel Hispania, uel Germania, uel utraque ad imperandum progenuit, agebas. Indè huc deduceris; quasi non facilè reperiri posset, qui tam cognitâ uirtute, tam spectatâ fide, tam præclarâ dignitate hoc loco ad agendum splendidissimo, ad dicendum ornatissimo, hoc tot clarissimorum luminum totius Christianæ religionis amplissimo conuentu, hoc sanctissimo*

quasi Deorũ concilio legationem esset obiturus. Quàm probè, quàm prudenter, quantâ cum omnium admiratione munus hoc exequaris: quàm praclarè impositam tibi personam sustineas; quàm mirum in modũ Regis Maiestatem, à quo legationem accepisti, tuearis: non est, ut epistolâ exponi queat. Atque, cùm omnibus compertum sit, id nec meum, nec alterius cuiusquam, quo declaretur, testimonium requirit. famâ iam peruulgatum est, qua nulla potior testificatio reperitur. Accedunt & officia; qua me & humanitati tua debere agnosco, et beneuolentia, qua erga me uehementer affectus, ut tua facilitas est, uideris; praesertim cùm mea scripta praeteferas, te haud quaquàm nauci habere. si parui ea faceres; ut ederem, nunquã me sanè commonefecisses. Quare id, quicquid est, tibi dicatum edo. Tuum erit, auctoritatis tua clypeo protegere: quo eorum mucrones ad maledicendum districti retundantur; qui, cùm in exiguis naeuis, quibus alij affici solent, animaduertendis, non modò argutos, uerùm etiam Argos se uideri uelint; in grauissimis quidem mendis, uitiisque suis notandis hallucinantur, oculósque hebetiores, non acres, acutósq; habent. Hoc ipso enixè studui complecti, quaecũque in quotidianis concilijs in utranque partem disputata sunt: ut altera ad approbandum essent adiumento, quod mihi placebat: altera, ne officerent, confutarentur. Ac, ne quis miretur in conuentu dicta nonnunquàm esse; qua minus fortasse decere putarentur; intelligant, uelim, Episcopos homines esse, atque in sententijs dicendis suâ quen-

quenque duci opinatione: ad eam confirmandam nemini nefas esse congerere, quæ, etsi à uero abhorrent, uim tamen aliquam aut probandi, aut refellendi habere uideantur: singulos, quod sentiunt, uerum id esse arbitrari: hoc certè, quo rationes, cogitationésque omnes referant, quò intueantur, sibi proponere: eorũ, qui, quod ipsi persuasum habent, defendunt, finem esse persuadere; seu uera sint, seu falsa illa quidem, sed quæ uerisimilitudine, & probabilitate aliquâ nos fallant, per quæ ad hoc ipsum totas ingenij uires intendũt: (id nunquàm ijs, qui disceptant, non licuit, ac nunquàm non licebit) nec iam nũc primùm his de rebus controuersias haberi cœptas. Iam pridem non defuerunt, qui scripserint partim ad hanc sententiam, quam tuemur; partim ad alteram, quam refutamus, approbandam. Utrique, quod uerum esset, aut certè quidem quod ad ueritatem propiùs accederet, se affirmare existimabant. Concilium litem diremit: cùm diuino Spiritu incitatum docuit Episcopos esse et Hierarchas à Deo, qui Ecclesiam regerent, institutos, & presbyteris superiores; præceptóque diuino aduigilare, atque assistere ad custodiendum, pascendumq; accuratè, quem quisque gregem suscepit, oportere. Undè decretum fecit; quo in suâ singuli diœcesi ad residendum cõpelluntur. omnes & quod illud docuit, & quod decreuit, summâ et incredibili animorum consensione probauerunt: ut perspiciat planè totus terrarum orbis, sanctam Synodum Dei nutu ac numine, non humano consilio gubernari; & quotquot Antistites in eam

sunt conuocati, qui non sanè pauci sunt, non modò eximiâ doctrinâ praestare, sed et praecellenti sanctitate, morúmque probitate singulari: neque aliud denique quicquam animo moliri, quod non Domini Deiq; nostri gloriam attingat. Siquis autem in scriptis meis id deprehendat, quo acriter inuehi me putet; deponat, obsecro, hanc opinionem: nihil unquàm ad quempiam perstringendum me dixisse existimet. Nempe id dumtaxat contendebam; ut, quod obijciebatur, reijcerem. siquid offensum est, profectò id contrà, ac putabam, euenisse arbitretur: me nihil de animaduersione recusare: sed paratum esse ad subeundum non modò censorium S. R. E. iudicium; cui parêre debent, quotcunque Dominum nostrum IESVM CHRISTVM *colunt, Christianámque religionem profitentur: verùm etiam & doctissimi lectissimiq; cuiusque hominis notationem. Tu uerò Hispani nominis decus, procerúmque splendor, & aulae ornamentum* QVINONI, *quod mitto, accipe illâ animi hilaritate, qua uel minimum quodq; munus accipere consueuisti. In eo te oro, ut nihil aliud spectes, quàm mei non mediocris erga te studij declarationem: ut pote qui nullo non officio te prosequi cupiam. Vale.*

ANTO-

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI, EPISCOPI VXENTINI, De officijs Ecclesiæ præstandis; *TRIDENTINA I.*



TSI non eum me esse intelligo, Patres amplissimi, qui tātùm uel ingenio ualeā, uel eloquentiâ, uel doctrinâ, uel auctoritate, quātùm satis sit ad, quod uelim, persuadē dum; hoc præsertim tātorum Præsidū cōspectu, hoc probatissimorū, doctissimorúmque Antistitum conuentu, qui non in aliorum sentētiam ire, sed alios ad suam perducere cōsueuerunt: cùm tamen, quæ res agitur, maximi sit momenti, ut ne desim officio meo; at, siquid in ratione dicendi sum assecutus, in qua me non inficior multum tē poris consumpsisse, id omne, quod uideo, quàm sit exiguum, conferam ad agēdum, quod Sacerdotem decet, cùm sententiam rogatur; illum oro, qui infantes ad aptè dicendum, pueròsque ad rectè iudicandū spiritu suo diuino solet excitare; ut mihi adsit ad hoc ipsum perficiēdum, quod sibi sit laudi, cui soli gloria debetur sempiterna. Ac peto à uobis hanc ueniam, huic negotio accommodatam, uobis, ut spero, non iniucundam; ut patiamini me hoc loco paulò liberiùs fusiùsq; loqui de re susceptâ, quàm moris est. Quòd si mihi à uobis concedi sentiam, cōfidam me adiutum diuinâ ope effecturum, ne

Exordium.

Dan. XIII 45.

Narratio. *ne uos pœniteat patientes, mihi aures præbuisse. Cùm enim propositum esset considerádum esse, quæ ratio de residẽdo iniri possit; quò minùs, qui custodiendas, pascẽ dásque Domini nostri* IESV CHRISTI *oues sumpse runt, de custodiá pastioneq; gregis, nisi iustas ob causas, discedãt; animãduerti, qui ante me rogati sunt, om neis eá de re idem sentire. Quãdoquidem nemo eorum non asseruit, Episcopi præsentiá Ecclesiæ, cuius admini strationem suscepit, omnino necessariam esse. Quod au tem necessarium est, cùm semper sit idem, ut docet Phi losophia; quod uerò est eiusmodi, id nõ hominum iudi cio atque consilio fit, sed uel naturâ ipsâ, uel diuinâ in stitutione: quid est, quod quáuis cõplures probè ac prudenter Dei præceptum esse affirmârint, addiderint alij explanari id oportere; multi tamen, quod animo com prehensum habent, silentio coerceant, atque explicare uereantur; pauci non dubitârint dicere, non esse hodie declarandum; nec defuerit, qui Dei mandatum nõ esse contẽderit? At planè uelim, ut pigeat aliquãdo uel id asserere, quo nos ipsi nostræ sententiæ contradicamus; ne uideamur, quod in primis turpe est, nobis ipsi nõ cõ stare; uel illud prætermittere, quod cœlesti spiritu inci tati animo complectimur: ne in Dei, (qui maximè timendus est) offensionem incurramus. Neque enim est dubium, eiusdem id modi semper extitisse; postquàm Sacerdotiũ esse cœpit. quippe, antequàm Ecclesia Romana id præcepisset, Vates diuino spiritu afflati iussẽrunt; et is à quo et Synagoga, et Ecclesia originem habet, mandauit Dominus Deúsque noster. Mihi uerò eo*

Propositio.

rum

rum ſentẽtia potiſſimùm probatur, qui nullam aliam inueniri uiam poſſe exiſtimãt potiorem, quàm ut iudicio ueſtro, quo tãdem iurè, ſuâ cuique in Eccleſiâ ſit reſidendũ, decernatur, eóq; magis in hac ſum ſententiâ; cùm perſpiciam, quod antehac nunquàm habuit dubitationem, Epiſcoporum & cooptationem, & officia muniáque Dominũ Deúmque noſtrum inſtituiſſe, temporibus noſtris in dubium uocari; atque ita in dubium uocari, ut homines non indocti, ueriti non fuerint eâ de re ſic diſceptare, ut ſcrupulum euellant, quo, qui Deũ metuunt, punguntur; ne, ſi minùs reſideant, grauiſſimi erroris capitalem culpam ſuſcipiant. Quapropter ueſtrum eſt in hoc ipſum toto animo incumbere, omnia ueſtra cõſilia referre, omnem operam enixè dare, omnes denique cogitationes cõferre; ut demptâ hac totâ hæſitatione, ſublatâque opinione, qua ueritatem obtegere ſtuduerunt, qui contradicendi ſtudio ducebantur; quod uerũ eſt, quod maioribus noſtris nũquàm dubium fuit, libentiſſimè omnes amplectãtur. Nam ita ſe res habet, ut, ſi nihil aliud urgeret, cuius causâ concilium fuiſſet conuocandum, hoc unum quidem certè meritò compelleret. Habetis enim maiorum ueſtrorũ exempla, qui de diuinâ CHRISTI *naturâ, de ſancti ſpiritus diuinitate, de eius origine, de filio Dei, eodẽque hominis filio, de geminâ eius & naturâ et uoluntate, de ueneratione ſanctorum cœlitum, de beneficiẽtiâ diuinâ, quam gratiam appellant, de libero uoluntatis humanæ arbitrio, concilia nunquàm inſtituiſſent; niſi quæ in Eccleſiâ certa et minimè controuerſa haberentur;*

Confirmatio.

Ab exemplo maiorum.

tur; in id controuersiæ seditiosi nefariique homines, et falsæ gloriæ cupidi adduxissent, ut uero noctē erroris offundere, qua multos in cœtu Christiano obruerent, contendissent. Quid? paucis antè annis, eodem hoc loco, nônne concilium habitum est, ad uanitatem eius opinionis delendam, quæ tum primùm de fide, de actionibus uirtutum, de uoluntatis libertate, de pœnitentiâ, de cæteris mysterijs, ijs auctoribus, qui à communione uniuersi cœtus Christiani recesserunt, ferebatur? atque constituit undè, & quem in modum impius cum Deo in gratiam redeat, fiatque iustus? multáque prætereà reliquit inchoata; quæ, ut perficiat, huc iterum conuocatum est? An non à communitate Ecclesiæ, quam, maiores nostri optimè administrauerunt, ij disiuncti sunt, inter quos non est eius communio iuris, quo se illi teneri fatebantur? Nec uerò dubitandum est, quin Dei uoluntate ac nutu à uobis illustrissimi Præsides propositum fuerit, quæ potissimùm ratio de residēdo esset ineunda. Cùm enim nihil aliud minùs animo agitaretis, quàm ut de iure disceptaretur; ille idem Dei spiritus, qui uos ad hoc proponendum permouit, maximam conuentus partem ad enixè rogandum, ut, cuius id ipsum sit iuris, declaretur, excitauit. An non diuino spiritu incitante factum putatis, ut non modò permulti natu grandiores, qui iam refrigerato cupiditatum ardore, ac potiùs restincto, effœtóque corpore hoc, ualeant uoluptates, dixerunt: uerùm etiam magna iuuenum manus, quorum et mollis educatio, & florens ætas fugere laborem & incommodita-

Ab occasione diuinitùs oblata.

moditatem; ſectari uitæ commoda, et quæ oblectant, deberent; hoc idem appetant. Atq; ne de me ipſo hoc miſſum faciam, ego ætate quidem prouectus, ſed naturâ ipsâ ab omni operoſo negotio abhorrés, appetens quietis, natus in nobiliſs. illâ regione, à qua tota Italia Auſonia dicta eſt, educatus in opulentiſs. ſplendiſſimâque domo illuſtriſſimi, & excellentiſſimi Ducis Vibonenſis Hectoris Pignatelli, et quidem Neapoli, quæ ut maximarum urbium Italiæ nullâ poſterior, ita multarum prima eſt; ubi otio affluens omne meum tempus in ſtudia literarum, interdum quoque in eas actiones, quæ animum & liberaliter inſtitutum, & Chriſtianum ſummoperè delectant, inſumebam: ſi mallem uoluptatibus meis indulgere, non præferrem amœnitati Campaniæ aſperitatem Hydruntinæ regionis; non delicijs Neapolitanis, iniucunditatem Vxentinam; non hominum nobiliſſimorum frequentiæ, uiduitatem & ſolitudinem; non antiquæ amicorum, propinquorúmque conſuetudini, qua nihil ſolet eſſe iucundiùs, gentis non unâ è regione collectæ, nec mihi unquàm anteà perſpectæ familiaritatem; non patriæ ſuauiſſimæ, acerbiſſimum exilium; non luci optatiſſimæ, in qua iucundiſſimè uiuitur, urbem deſertam, iniucundam, tenebris oppletam, à Turcis penitus euerſam, in extremâ orâ Italiæ poſitam, à meis remotiſſimam; non animi ſecuritati anxiam ſolicitudinem, curámque acerbam; ne quando ab hoſtili Chriſtianíque nominis inimicâ claſſe, quæ ſæpe oram illam inuadit, capiamur, captíque duriſſimâ ſeruitu-

te

te opprimamur. Explicate igitur, Patres amplissimi, priscam ueritatem sophismatum obscuritate obtectã; erutte fallacijs argumentorum obductam: euellite ex pusillis animis hanc opinionem, quæ diuinæ institutioni contradicit: dirimite controuersiam, in quam adducta res ipsa est: eximite scrupulum, quem qui Ecclesiasticum, non etiam diuinum esse præceptum dixerunt, animis nostris iniecerunt. Siquis enim ex Hispaniâ, uel ex Galliâ, uel ex quauis aliâ natione ad uos scriberet, Præsides optimi, postularétq; hoc idem sibi declarari; nónne uestrum esset eius postulationi satisfacere? Nam Romanorum Pontificum permultæ Epistolæ reperiuntur, quibus ad id, de quo ipsi rogabantur, respondebant. Vos hoc loco sedem Apostolicã repræsentatis: uos summi Pontificis personam geritis. Multùm enim id sanè refert, huiús ne, an illius sit modi: quandoquidem nemo, quid inter Diuinum & Pontificium mandatum intersit, ignorat. Nã, quod Pontificium est, uel consuetudine antiquari, uel posteriorũ decretis mutari, abrogaríque potest: quod est Diuinum, non potest; quamuis declarari queat. Iam uerò, quod proponitur, si esse Dei præceptum fuerit constitutum; nos ignis diuinæ charitatis ad parendum summâ cum delectatione inflammabit; aculei uerò metuendæ seueritatis uehementiùs agitabunt: sin Ecclesiæ; liberi erimus à metu, ne plùs, quàm oportet, nos pungat. Cùm planè perspectum sit, quo nos illa uinculo obstringit, eandem posse nos liberare: nec dubitetur, quin alia non residenti, si diuino iure obligatur;

Ab Vtilitate.

alia

alia si Ecclesiastico, mulcta sit irroganda. Atque tota hæc ratio sumitur à personâ præcipientis. Id enim natura comparatum est, ut multùm in lege conditâ eius auctoritas, qui condidit, spectetur. Quod cùm animaduertissent, qui Athenienſem, qui Spartanam, qui Romanam Rempublicam instituerunt, se ab Deo, quæ instituta tradebant, accepisse fatebantur. De Mose autem illo, qui Hebræos grauissimo, superbissimóque Aegyptij Regis dominatu liberauit; dubitandum non est, quin ad eos ab Deo mandata sibi data esse uerè professus fuerit. Iam & qui leges ferunt, ad eas seruandas tum propositis præmijs alliciunt, tum metu pœnæ, quam minantur, compellunt. Quisnam hominũ, ut summam habeat rerum potestatem, uel munera tam præclara, támque optanda potest afferre, uel supplicia tam acerba, támque formidanda inferre, quàm Deus: qui rerũ omnium effector est, et procreator; sine cuius tutelâ nihil uiueret, nihílque seruaretur; sub cuius omnia posita sunt imperio, quæ in cœlo enitẽt, quæ in terris uigẽt, quæ apud inferos latent; qui unus, quæ non sunt, ad uitam potest arcessere; quæ sunt, ad interitum penitus adducere? Agè uerò, quid ille sua præcepta seruantibus nobis pollicetur? uitam æternam, eámque perbeatam. Quid negligentibus minatur? supplicium teterrimæ, acerbissimæque mortis sempiternum. Quid autem Reges hominum? nunquid aliud commodi unquàm attulerint, quod nequeat temporis longinquitas delere? Nunquid aliud mali intulerint, quod aliquando non sit defuturum? Etsi enim

enim corpus torquere possunt, atque etiam occidere: nec illud tamen possunt, nec eius animam in flammas ignis æterni conijcere. Neque uerò animaduertendum non est, quòd lex diuina ad sempiternam beatitudinem refertur: lex uerò humana ad Remp. bene administrandam, ut non modò seruari possit, uerùm etiam augeri. Esto autem, ius Pontificium, quô Diuinum, eôdem dirigatur: non tamen quàm primùm, atque proximè id ipsum attingit: cùm per se, ac primùm ad statum Ecclesiæ probè instituendum atque informandum attineat, quæ Deo possit rectè ac ritè inseruire. Quia uerò uel accinctis promptísque ad exequenda Dei mandata, uita æterna, uti summa, & quæ nullo pretio comparari queat, merces parata est; consequitur, ut hunc etiam finem sibi proponat. At Dei præceptum rectâ atque statim eôdē contendit. Quambrem, quod imperatur, ubi intellexeris Deum imperasse, quem nosti, tum propter se, & amandum esse inprimis, & timendum, quia Deus est; tum quia nihil boni est, quod benefaciendi gratiâ, nihil mali, quod puniendi causâ ab eo non proficiscatur(Amandus enī ille tibi est, quia te sibi maximis beneficijs deuinxit: ille te ī lucē edidit, educat, seruat, auget: ille te corporis naturæq; bonis ornauit; te fortunæ cōmodis locupletauit; te animi ornamētis honestauit. Quæ tibi omnia uel cum ijs, quorū instituta à nostrorū religione sacrorū abhorrēt, cōmunia quidem sunt; illud uerò propriū, ut Christiano: unicum tibi filium dedit, cuius merito te adoptauit, ut æternæ hæreditatis participē faceret.

denique

denique nihil habes, quod ab eo non acceperis, neque habere potes, quod ab eo non sis accepturus. Timendus autem ille tibi est, propterea quòd sibi uni potestas est omni suppliciorum genere, etiam æterno in te animaduertendi.) Vbi Deum, inquam, intellexeris imperasse, quem tum propter se, tum multas alias ob res, tibi summoperè amandum, metuendúmque esse non dubitas; quid est, quod non paratiore alacrioréque animo ad parendum sis futurus, siue te eius charitas ad hoc ipsum, ut decet, inflammet, siue etiam metus impellat? At Pontifex Romanus instar eius habet, eius personam gerit, eum nobis repræsentat. Qui hunc despicit, illum profectò spernit. qui hunc audit, illi sanè obtemperat: qui hunc offendit, in offensionem illius incurrit. qui hunc tangit, pupillam oculorum illius præstringit. qui eum non ueretur, non colit, non obseruat, sed eius præcepta contemnit; pœnâ dignus est utique sempiterna. Quis unquàm hæc in dubitationem adduxerit? quis non concesserit? Sed cuius causâ? eius profectò, cuius uicem obtinet, cuius in locum est constitutus. At uulgatum, scitumq; illud est; quod causæ est, ut quicque tale sit, id eiusmodi magis est. Matrona enim, quæ diligit filij præceptorem, par sanè est, ut filium magis diligat, cuius gratiâ illum adeò diligit. Sol, qui lumine suo ita afficit sidera, ut luceant: consentaneum est, ut lucis plus habeat. Principes, qui administris uim suam, auctoritatémque deferunt, nónne consequens est, maiore ut

Cõfutatio. (beside: *flammet, siue etiam metus impellat? At Pontifex*)

Obiicitur. (beside: *eum nobis repræsentat. Qui hunc despicit*)

Refutatur. (beside: *sempiterna. Quis unquàm hæc*)

potestate ualeant? Atque si plurimùm in Deū peccabant, qui CHRISTI *Apostolos insectabantur, & uexabant; cùm eius membra afflictare uiderentur, quod ipse planè professus est, cùm clarâ terribilíq; uoce Paulum alloqueretur, & increparet: non quidem certè est, quin multò plùs peccauerint, qui eum in crucem egerint. Ac, tametsi quæ, ut diuina præcepta Ecclesia iubet seruari, & quæ Dei planè esse oracula declarat, idem ualeant, ac si Deus ipse hæc præciperet, ac doceret: quæ tamen per se ipsa ac primùm, qua pollet auctoritate, imperat ad rectè christianeq; uiuendum, statuo mihi seruanda esse illa quidem; sed non eo in metu pono, ut putem summum Præsidem, ueniam mihi nunquàm daturum esse, si minùs eius mandata fecerim; neque concessurum, ut liceat aliquando exequi secùs, ac ipse mandauit. At, si Dei præceptis negligendis errauero; quis po-*
1 Re. 2. *testatem habuerit, nisi Deus ipse, ignoscendi? Nam, ut rectè, ac uerè scriptum est; si homo in hominem peccauerit, placari poterit ei Deus: si in Deum ip-*
Obiicitur. *sum, pro eo quis orauerit? At, inquis, quod Ecclesia præcepit, si quis non seruat, in capitali crimine ponendum est, quod supplicio constringi oporteat*
Refutatur. *sempiterno. Caue existimes id genus esse omne Ecclesiasticum præceptum, quod qui sine contemptione non custodierit, meruerit, ut pœna sibi æterna irrogetur. Quanquam nemo unquàm eiusmodi esse dubitauit; quod ad seruanda Dei mandata refertur. Cùm enim propterea quòd Deus iussisset; pastores.*

pascere

paſcere oues ſibi commiſſas, Eccleſia edixerit Epiſcopis, ſuâ cuiq; in diœceſi eſſe reſidendum; nempe eam ob rem, ut Dei faciant imperata; quis negauerit, qui non paruerit, ſcelere capitali obſtringi? Nam, & ſi diuinæ auctoritati, nullâ humanâ lege opus eſt, qua ſibi parendum ſit; Eccleſia tamen, cùm animaduertat, homines eâ natos eſſe conditione, ut magna pars longè magis præſens malum, quàm futurum, licet hoc ſit perpetuum, & graue, ſuprà quàm ferri poſſit, metuant; quod Deus ſemel præcepit, ſæpiùs edicit; edictoq; non contenta, ſupplicio, quod apud inferos æterno cruciatu ſoluendum eſt, pœnas duriſſimas adſcribit, easq; perſequitur: ne mireris à maximo Chriſtianæ Reipublicæ Præſide, quod diuinâ lege præſcriptum eſt, imperari; quaſi ab eo mandari minùs oporteret, quod Deus præcepiſſet. At eſto, inquis, concedatur in diœceſi diuino iure Epiſcopo eſſe reſidendum. Quid tum? an, ſi hoc declaretur, reſideat? Qui præſentis incommodi formidine, quod ſibi Eccleſia minatur, ad reſidendum minimè adducitur; futuri, quod abeſt impellatur? Num, quia conſtitutum eſt, ne furtum facito, ne adulterator, diuina eſſe præcepta; nemo furatur, nemo alienas coniuges corrumpit? Immò uerò plus peccandi occaſionem ſancta Synodus dediſſe uideatur, ſi hoc ius, diuinum eſſe decernat. Vt leuiùs enim peccarũt, qui, antequàm ſit declaratum, non reſederunt: ſic grauiùs errauerint; qui, poſtquàm erit declaratum, ab Eccleſiis ſuis abſuerint. Obiicitur.

B 2 *quippe*

quippe si lex data non fuisset, peccatum minùs perspexissem. Libido enim, quod malum esset, nescirem, nisi lex prohiberet, ne concupisceres. Nam sine lege peccatum mortuum erat. Vide, ne malam rem, esse Dei legem ducas; ne quod sanctum, quod iustum, quod bonum est, tibi perniciem, exitiumq; fieri arbitreris: quia peccatum, ut peccatum appareat, duce & auctore diuino praecepto, quo tibi illud ostenditur, te morte affecerit. Si Deo crederes, si Deum timeres, si Deo denique parere necessarium esse in animum induceres; non mali, sed commodi sempiterni; non miseriae, sed felicitatis; non mortis, sed uitae; non peccandi, sed benemerendi causa tibi eius praeceptum esset. Nam quibus data lex est Iudaeis, qui Christo fidem habuerũt, spémque omnem suae salutis in eo collocauerunt; illis plurimùm profecit. quippe quibus fides illa optima atque sanctissima causa fuit, ut Deus uim dederit legis seruandae. Qui uerò Christo minimè crediderunt, aut potiùs eum contempserunt, tantùm abfuit, ut ijs profuerit, ut maximo exitio fuisse uideatur. Cùm enim Dei mandata quotidie legerent, memoria tenerent, seruanda esse faterentur; ea tamen neutiquàm exequebantur, quòd eius filio fidem minimè adhibebant. Itaque, qui sibi credentibus, uirtus, salus, uita denique est sempiterna; ijs lapis ille fuit offensionis, quo fracti sunt, quò obtriti, quo praecipites, acti in perpetuam inferorum exustionem. An lex ferenda non erat, quia mali eam non essent seruaturi?

Marginal notes: Rom.7. (beside line 2); Refutatur. (beside line 4); 1. P. 2. (beside line 30)

ri? An non data est, ut cum amore metum etiam inferret? amore enim afficiebat, cùm beatitudinem sua facientibus mandata polliceretur: metum incutiebat, cùm mortem minaretur. Nempe, qui Deo credunt, sic timent eius minationem, ut prospiciant, nè incidant in eius offensionem: spe uerò præmiorum ita inflammantur, ut eum mirificè ament. Quamobrem timendo, atque amando, ad eius præcepta custodienda, toto pectore uehementiùs incumbunt. Atque lex ipsa fide affecta, ac potiùs fulta, bonos tandem ad cœlum extollit, ducitq; ad commoda æternæ felicitatis perfruenda. Malis autem multùm etiam proderit, si formidine supplicij peccare desinent. Bonos appello, non qui nunquàm peccent. quis enim uiuens, in conspectu Dei iustus reperiatur, si non est qui rectè faciat, ne unus quidem? sed qui, Deum cùm metuant, atque ament, peccare oderint; atque, ubi peccauerint, resipiscant. Itaque ijs quidem lata lex est, ut dum metuunt, atque amant eius auctorem, ità parcant, ut quod ea pollicetur adipiscantur: malis autem, ut si eum, qui tulit, neque diligunt, neque reuerentur; at certè metu pœnæ aliquando peccare uereantur: si ne id quidem unquàm timeant, uel quia non credunt, uel quia insaniunt; sit planè mors sempiterna. Hæc est enim iustitia diuina: quam nemo profectò est, qui, nisi adeò socors, adeò stolidus, adeò cæcus sit, ut nihil capiat, nihil intelligat, nihil uideat; audeat reprehendere. Quapropter nō possum satis admirari, si in

Psal. 142.

Psal. 52.

hoc amplissimo doctissimoq; conuentu, non desit, qui iuris declarationem, uel detrectandam, uel dissimulandam esse arbitretur: quasi uerò uel animi securitas consequatur; uel, ut libet, uiuendi potestas habeatur; uel diuina pœna, qua cum præceptum conscriptum est, omnino sit effugienda, si minùs declaretur. Aut enim ab eo nosti præceptum hoc esse, aut ignoras. si nosti; num aberit, ubi neglexeris, quin constitutum supplicium feras, si minùs explicetur? sin ignoras; num putas iuris ignorantiam tibi esse profuturam, quo minùs Deo pœnam persol-
1.Cor. 14. *uas? an non ignorans, à Deo, ut scriptum est, ignoratur? quid autem infelicius esse potest, quàm ab eo, cui planè omnia perspecta sunt, ignorari? Quia uerò siue ignoret, siue cognitum Dei præceptum habeat, qui non seruauerit, supplicium subierit, declarandum profectò est: ut si norit, sacrosancti Concilij auctoritate ablatam sibi esse intelligat occasionem dissimulandi: si nesciat, ne pereat ignorando. quippe qui non modò pœnam effugiat, si pareat; sed uitam quoque mereat æternam. An diuina mandata si edicta non essent, qui ea non faceret, iudicio capitalis culpæ minùs damnaretur? Nónne si uel Deus, uel homines taceant, ratio naturæ, in mentibus nostris innata, ac penitus inhærens, non proponat, non clamet, non edicendo terreat? Quæ uerò naturali notione in animis nostris insitæ sunt, earum sanè rerum auctorem Deum esse, perspectum habemus. Sed hac quidem de ratione, atque de præceptione*

ceptione diuinâ, qua sit Episcopis in sua cuique diœcesi residendum; proximo conuentu, modo Deus uelit, sanctaq; Synodus iubeat, dicemus. Nunc autem non omiserim uobis, Patres amplissimi, id non esse negligendum, quod est caput omnium rerum, quæ uobis obiectantur; quas, ut planè emendaretis, in hunc locum conuenistis; ad quas in pristinum statum restituendas, nos quidem omnes Christiani Principes, & literis, & nuntijs hortantur. Nam quas alias ob res malè audimus; nisi quia putant antiqua nos Dei præcepta contemnere, noua inter nos condere, quibus omnia licere nobis existimemus? Agè uerò, quàm magno pretio id mercentur, qui uos conuicijs insectari consueuerunt, quod non obscurè diuinum mandatum est, quod & uobis planè perspectum, si dissimulandum esse in animum inducatis; ut habeant, quod in uobis liberiùs exagitent homines nati ad uos maledictis conscindendos, atque ad styli aciem in concilia uestra exacuendam; quasi uerò agantur ad eos non recipiendos, sed extra omnes Ecclesiæ fines expellendos, non ad uitæ morúmq; emendationem, quæ si consequeretur, facilè ad parendum, eos fortasse reuocaret, sed ad concordiam, pacèmque simulandam: cùm pro certo habeatur, in eâdem illos obstinatione, perfractè esse permansuros, dum uiderint in statu Ecclesiastico, nihil emendatum iri. At quantâ efferantur lætitiâ, qui uos oderunt, & quotidianis conuicijs lacerant; dissensiones autem in cœtu Christiano exortas, se-

 ctásque

ctásque fouent et augent, si iuris declaratio, tantopere à multis postulata dissimuletur: tanto mœrore affi ciantur, qui nos colūt, ut ueros Dei administros, uenerantur, summo loco habent; pacem & tranquillitatem in Rep. Christianâ, statumq; eius optimum optant, atque orant multis supplicibusq; uerbis. Ac uereor, si rem tam magni momenti, tantiq; ponderis oscitanter negligitis, ne quando, quod Deus omen auertat, hanc beneuolentiam erga uos incredibilem, in summum odium, hanc pietatem et uenerationem, in despectum atque contemptionem conuertant, ac traducant. Illud autem uelim, persuasum habeatis, quò nos quidem negligentiùs oscitamur, magis'ue dissimulamus, eò impensiùs illos in animum inducere, hoc præceptum esse diuinum; à nobis autem omitti declarari, ne diuino iure ad residendum compellamur, sed licentiam nostrarum cupiditatum, libertatemq; uagandi faciliùs assequamur. Ac uerendum est, ne si Episcopi id sumere sibi uideantur, ut putent sibi liberis à metu pœnæ, quæ diuinâ lege irrogatur, licere à suis Ecclesiis abesse, non modò desinat plebs illos audire admonentes, sed ei quoque sint ipsi ludubrio futuri. Atque tantùm abest, ut de potestate sanctissimæ, atque eminentissimæ sedi Apostolicæ detrahatur, si in diuinis esse mandatis hoc decernatur; ut si secùs, timendum sit, ne ditionis, iurisque multum sit amissura. Videtis enim, quantum in Germaniâ, quantum in Britanniâ amiserit, quantum in Gallia iam nunc amittat. Quam ob causam?

Ad tacitam oppositionem.

sam? an non, quòd nunquàm Episcopis persuaderi potuit pro suo munere obeundo se diuino iure obstringi: plebemq; non modò Christianæ doctrinæ præceptis, sed optimis quoque uiuendi exemplis ad rectam disciplinam informandam, erudiendámque esse? quòd si constitutum habuissent, cùm in suâ quisque diœcesi assedissent suáque officia diligenter, sanctéque seruassent, præsentia, quod efficere nequeunt Vicarij, insolenteis nefariósque homines cohibuissent, ne quid noui in Christianâ Religione molirentur populumq; in officio retinuissent. Nam Vicarij præterquàm, quod non eâdem pollent auctoritate, cùm mercenarij sint, non se obijciunt lupo ad pecus dissipandum irruenti; sed adeò metuunt, cùm minæ iactantur, pericula intenduntur, formidines opponuntur, ut confestim, aut cedant, aut in fugam se conferant. Neque uobis prospiciendum non est ne qua siue oscitatione, siue dissimulatione, in eam opinionem nationes, Regésque, ac Principes nominis Christiani adducatis, ut de sede Apostolicâ id putēt, à quo illa maximè abhorret; præsertim cùm hoc tempore eam teneat PIVS IIII, *qui, Deus optime maxime, Pontifex Romanæ Ecclesiæ? qui omnium Episcoporum Princeps? qui Præses Reipublicæ Christianæ? qui Pastor omnium ouium Domini nostri* IESV CHRISTI? *qui cùm religione seruandâ, sedis Apostolicæ auctoritate defendendâ, bene, rectéq; præsidendo uniuerso Christianorum orbi, probè custodiendo, compatiendoq; toto grege, superio-*

superiorum temporum Pontifices, Principes, Præsides, pastores uicerit, hac quidem certè re se ipsum uincit: quòd noctes, et dies nihil aliud mente complectitur, nihil aliud cogitat, nihil aliud molitur, quàm pacem Ecclesiæ uniuersæ, salutem eorum, qui ab eâ defecerunt, impietatis euersionem, sanctitatis restitutionem, pietatis incrementum. Quas ob res Concilium œcumenicum in hunc locum omni industriâ, omni diligentiâ, omni denique operâ conuocandum curauit. ô uerè Pium, ut non temerè hoc se nomine appellari uoluerit. An non nationes, Regésque, ac Principes nominis Christiani putauerint ei non placere, diuino præcepto residendum esse, declarari, si cùm propositum id sit, non utique statuatur? Quasi uerò Episcopi sibi soli, non etiam Deo administrationis rationem sint reddituri: se unum Dominum; non etiam Deum sint agnituri: sibi acceptum omne id, quod habent, quo funguntur, quo fruuntur, Deo nihil, sint relaturi? Neque hoc loco aliquid tractari, quod ipse non iusserit; neque constitui, quod ipse non decreuerit? quasi hoc non sit Concilium, sed Concilij potiùs umbra, imago, nudum nomen, uox inanis. quasi in hunc locum ille sanctam Synodum conuocarit ad decipiendum, ad ostentandum, ad opinionem inferendam per se non stare, quin Reip. Christianæ optimè consulatur: non ad dissidia tollenda, quæ cum maximo uniuersæ Ecclesiæ detrimento in dies plus uirium acquirunt; non ad Ecclesiasticos mores emendandos; non ad Pontifi-

ciam

ciam dignitatem in priſtinum ſplendorem reſtituendam; non ad incommoda uitanda, quæ quotidie inferuntur; non ad errores depellendos, quibus hallucinati plerique omnes ſuâ poteſtate abutuntur; non ad ea denique ſtatuenda, quibus ſectæ ſcholæque impietatis omnino euertantur, tranquillitas in Chriſtiano cœtu uniuerſo conſequatur, una religio, una fides, unus Dominus IESVS CHRISTVS *habeatur. Itaque hoc uobis proſpiciendum eſt: ut, cùm beatiſſimi Pontificis, Dominiq; noſtri propoſitum optimum ſit, animus integerrimus, mens ſanctiſſima, atque ab eâ opinione, in quam uenire poſſet, prorſus aliena; ne quam ei notam inſignem inuratis, quæ nunquàm deleri queat. At latet; inquiunt, latet anguis in herbâ, Quinam? præfertur, inquiunt, religio iuris declarandi, qua Antiſtites ad reſidendum impellantur, ſancta illa quidem, ac maximè probanda; ſed quæ occultè tendat ad auctoritatem, maieſtatémque Pontificis Romani, quæ neſcio quo Eccleſiæ malo, Barbaris odio cœpit eſſe, minuendam. Quo loci? non eſt ſanè ſuſpicandum in hoc ſacro ſancto concilio reperiri, qui tantum impietatis habeat animo comprehenſum: in quo nemo profectò eſt, qui non eum, ut uim & numen Dei tenentem, reuereatur, ſuſpiciat, colat; qui à Deo non optet, non petat, non precetur, ut ſub eius poteſtatem non modò redeant, quæ temporibus noſtris, à Romanâ Eccleſiâ nationes deſciuerunt; ſed uniuerſus quoque terrarum orbis ſubiungatur. Verùm ad omnem ſuſpicio-*

Obiicitur.

Refutatur.

ſpicionem eximendam, ne ſub nomine religionis, impietas lateat, adſcribatur decreto eã de re faciendo, quod eſt diuini iuris; quando, & quamobrem, & quem in modum, quantúmque obliget, ſummo Obiicitur. Præſidi arbitrandum, cenſendúmque eſſe; idq; ampliſſimis uerbis explicetur, quod etiam ſi prætermitteretur, ſolis luce clariùs pateret. At, inquiunt, quæ egerit, quæ ſtatuerit ſancta Synodus, ſi non antè ipſe præſcripſerit, conſtituerit, imperauerit, nunRefutatur. quid roboris habebunt, niſi ille idem probarit? Quiſnam hoc non planè aſſentiatur? quippe cùm & prouinciarum concilia, & uniuerſi Chriſtianorum orbis, quæ Oecumenica appellantur, quæ ipſa ſtatuiſſent, nunquàm non petere à Romano Pontifice conſueuerint, ut ipſe tanquàm uniuerſæ Antiſtes Eccleſiæ confirmaret, rataq; haberet. Id enim ſanctiſſima illa Synodus Nicæna à beatiſſ. Syluestro poſtulauit: id Chalcedonenſis à Leone illo, quem nemo unquàm ſatis laudaret. Addo etiam, quæ ſedes Apoſtolica cenſuiſſet, ita ſemper concilijs fuiſſe præſcripta, ut ea tanquàm diuina oracula ſequi ac tenere oportuerit. Sic enim ſecũda Synodus œcumenica, quæ Damaſus Apoſtolicæ ſedis Antiſtes conſtituerat, ſecuta eſt: ſic tertia, quæ Cæleſtinus: ſic quarta, quæ ille idem Leo, quem deindè etiam rogauit, ut actis auctoritatem tribueret: ſic quinta, quæ Agapetus, quæ Syluerius, quæ Vigilius: ſic ſexta, quæ Agatho: ſic ſeptima, quæ Adrianus: ſic denique octaua, quæ Nicolaus. Itaque uel ipſe Dominus

minus nōster decernat; ut, quæ ipse statuerit, Concilium confectetur: uel sinat à Concilio, ut puto eum finere, postquàm ad Christianæ Reipub. consulendum illud indixit, liberè tractari, suoq; arbitratu decerni, quæ sibi potiora uideantur. Ac demum, quod efficere semper potuit, poteritq. semper, eius acta, quæ probauerit, confirmet: quæ minùs, rescindat. Nam Chalcedonense Concilium cùm supplicibus literis, Leonem illum orasset, ut quæ tanto patrum conuentu gesta fuissent, ipse Apostolicâ auctoritate sanciret; quæ ad fidem attinebant, omnia corroborauit: unum illud decretum, quo post Romanam Ecclesiam Constantinopolitana cæteris præferebatur, cùm irritum habuisset proptereà, quòd Apostolicis maiorum suorum consultis aduersabatur, nihil tunc retinuit firmitatis. Quanquam, qui ei successerunt, non adeò uidentur restitisse; ut, quod eo concilio fuit constitutum, Ecclesia illa sibi non arrogarit. Neque uerendum est, si res ad declarandum proponatur, atque disceptetur; fore, ut, quod uti apertum perspicuúmque est sumendum, ambiguum incertúmque relinquatur. Non equidem puto in hoc sanctissimo doctissimoq; conuentu, esse aliquem ita rudem imperitúmque diuinarum literarum, ita ignarum monimentorum, quæ patres omnibus doctrinæ sanctitatisque laudibus cumulatissimi, nobis reliquerunt, ita amantem suorum commodorum, qui in Domini nostri I E S V C H R I S T I *mandatis, hoc nolit esse recensendum.*

dum. Si qui autem sunt, quorum oculos humanarum cupiditatum flammæ ita præstringunt, ut in clariss. ueri splendore hallucinentur, ac cæci omnino sunt; ij certè perpauci sunt. maximam uerò partem in eâdem sententiâ, certò scio, mecum perstare. Neque uerò dubitandum est, quin hoc idem Pontifex Maximus sit probaturus: cùm in hoc uestro consessu sint, qui audierint in ampliss. consilio eum docentem, cùm Episcopos in suâ quenque Ecclesia ad residendum hortaretur, iure diuino ad id ipsum illos compelli. An non hoc idem probarit sanctiss. idemque sapientiss. Pontifex, qui norit, cùm Dominus Deúsque noster iussisset Petrum pascere agnos ouésque suas, ius illum statuisse, quo Petrus ipse, cæteríque omnes, quos ille idem Petrus eius nomine in partem operis uocaret, tenerentur: nec
Ioan. 10. *non cùm, ut docet Ioannes ille, quem ante omnes discipulos, Magister ipse maximè diligebat, Pastor qui esset definiuisset, eiúsque officia sub aspectu planissimè subiecisset, quem præeuntem oues sequuntur, nominatímque uocantem audiunt; atque eum quidem à mercenario distinxisset (Quoniam ille, animam suam, qua nihil carius habet, nihilque iucundius, exponit pro ouibus suis: hic cum uidet lupum uenientem, eas dimittit, ac fugit, atque ita fugit, ut eas lupus dispergat, rapiat, mactet: idque non aliam ob rem, nisi quia ille quidem Pastor est, cuius propriæ sunt oues; hic uerò mercenarius, quem de ouibus tuendis, nihil curæ, nullúmque studium attingit*

tingit, cùm hæc ille dixisset, ius Pastori præscripsisse: quod cùm ipse potissimùm seruasset, exemplum sine dubio dedisse, quod essent sequuturi omnes, quos ille Pastores instituisset, quique essent suo nomine instituendi. Enimuerò Apostolos eâ de re ille admonebat, quos ipse Pastores ouium suarum, doctorésque suæ disciplinæ constituit, cæterósque qui essent illis in idem opus, in eundem laborem, in idẽ munus successuri. Nec dubium est, quin Petro Pontifex Romanus, cæteris Apostolis Pontifices alij successerint. Quod planè intellexerit, qui maximorum Antistitum decreta animaduerterit. Neque enim quisquam uestrûm est, qui ignoret Anacletum, qui à Petro quartus, ut alij tradunt, tertius, Apostolicam sedem tenuit, scripsisse; cùm electionem Episcoporum, quos ille summos Sacerdotes appellat, sibi Dominus reseruasset; eam tamen bonis Sacerdotibus, populísque qui diuino spiritu ducuntur, concessisse. Atque cùm post CHRISTVM *Dominum, à Petro Sacerdotum ordo initium sumpsisset, cæteros tamen Apostolos pari cum eo consociatione, atque consortione, honorem, potestatémque accepisse, ipsúmque inter se Principem esse uoluisse: eis deindè hac uitâ excedentibus Episcopos successisse: quibus esse gregé Domini commissum, ac de eo rationem esse reddendam, in decretis Apostolicis comperies. Iam &* PIVM *dixisse, Episcopos à Deo quidem electos, qui oculi sibi essent. Damasum prætereà, qui in cœtum sanctorum ascriptus est, in Episcopos*

stopos acerrimè inuectum esse, qui suæ commoditatis uoluptatisque causâ Chorepiscopis (hoc nomine appellabantur, qui ab Episcopis consecrati Sacerdotes eorum nomine uicis præerant) plebes suas commendare non dubitarent, eósque reprehendisse; primùm, quòd negligerent curam sibi commissam à Domino sic dicente; Bonus Pastor, *animam suam ponit pro ouibus suis: mercenarius, ut uidit lupum uenientem, dimittit oues & fugit. Deindè, quòd meretrices imitarentur, cùm haud secùs, atque illæ, ut primùm partum ediderunt, infantes nutricibus tradunt educandos, ut citiùs suas possint libidines explere; hi populos sibi commendatos, alijs præberent alendos, ut liberiùs uoluptatibus suis indulgerent, humanarúmque studio cupiditatum adducti, commoda sua consectarentur. Tum quòd multùm abhorrerent ab illâ curâ, ab illâ industriâ, ab illâ operâ, quam Patriarcha ille, qui coniuges duram seruitutem seruiendo compararat, in soceri grege compascendo enixè dabat. Quantò enim hi diligentiùs, quantò uigilantiùs, quantò accuratiùs incumbere ad munus susceptum deberent, qui oues Dei pascunt, quàm qui hominis pascebat? Iam uerò Nicolaum sanctiss. doctissimúmque Pontificem, his uerbis, eâdem de re Antistites Christianæ plebis admonuisse*, Episcopis dispensatio cœlestis seminis iniuncta est: *Væ si non sparserint; uæ si tacuerint, sicut uas electionis formidat & clamat: eundémque illum rogatum, an oues suas deserere liceat*

ceat Epiſcopo, quem Tyrannus aliquis inſectatur, reſpondiſſe, pernicioſum ſi eſt, qui gubernat nauim in tranquillitate deſerere; quantò magis in tempeſtate, ac fluctibus. Neque id ſe dixiſſe, quòd iniquorum hominum inſidiæ fugiendæ non ſint, dum ſæuiunt, & ob multitudinem peccatorum noſtrorum nocendi facultatem, diuinitùs aſſequuntur: præſertim cùm eis ultro nos ipſi offerre non debeamus, conſtétque luce clariùs multos & Prophetas & Apoſtolos, ipſum quoque Dominum, uim eiuſmodi infenſam, atque inimicam maleuolorum, atque infidelium fugiſſe: ſed quòd præcipuè nos, ille inquit, qui tanquam arietes ductum gregibus præbemus; immò & horum Paſtores ſumus Deo auctore, unâ ium ijs ipſis in omni periculo, pro uiribus permanere oporteat; &, cùm tranquillitas reddita, diuinâ fuerit pietate, & agitatio uexatióque furentium conſopita; mox diſſipatum pecus perquirere, & in unum cogere, eiúsque animos cœleſtis patriæ, pace ac ſecuritate prædicandâ erigere. Omitto, quæ hoc idem probant, aliorum ſapientiſſimorum Pontificum monimenta, nec non eruditiſſima ſcripta ſanctiſſimorum Patrum, Baſilij, Chryſoſtomi, Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, Gregorij, qui Eccleſiæ ſunt columnæ; eámq; probatiſſimæ doctrinæ opibus locupletauerunt: cùm certò ſciam, nec doctiſſimum PIVM IIII, *nec uos ea latere. Hæc ſi perſpexiſſent, animaduertiſſent, conſideraſſent, aut ſi planè intellexerunt, non deprauaſſent, non peruer*

tiſſent, non in ſenſum deteriorem intorſiſſent, nullâ prorſus ratione contra uerum dixiſſent, qui ab homine, non à Deo, de reſidendo in Eccleſiâ ius Epiſcopo conſtitutum eſſe uoluerunt. Niſi enim Dei præ-
Ioan.10. Ioan.21. *ceptum hoc eſſet, uerbis illis diuinis,* Bonus Paſtor: *et* paſce agnos meos: *et* paſce oues meas, *non oſtendiſſent priſci illi patres nunquàm ſatis laudati, Epiſcopos obſtringi, eosque à Deo paſtores animarum eſſe inſtitutos; neque affirmaſſent ad eandem ſententiam pertinere*, Paſcite, qui in uobis
1. P. 5. 1. P. 4. eſt, gregem Dei. *&*, unuſquiſque ſicut accepit gratiam Dei, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. *&*, attendite uobis & uniuerſo gregi, in quo uos Spiritus Sanctus
Act.20. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. *Alloquebatur enim Paulus Epiſcopos, quos ille manibus porrigendis in Aſiâ conſtituerat. &*, Quoſdam quidem poſuit
1.Cor.12. Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertio Doctores, *docere enim*
Epheſ.4. *Epiſcoporum eſt. &*, Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios autem Paſtores, & Doctores. *&*, Paſtores audite Verbum Domini, *& quæ antecedunt, & quæ ſequntur, uerba Prophetæ, quibus perſpicuè Paſtoris munia deſcribuntur; et, quemadmodum eorum incuriâ ſit mulctanda, exponitur. &*,
Ezec.34.
[illegible].23. Væ Paſtoribus, qui diſpergunt, & dilacerant gregem

gregem Paſcuæ meæ, dicit Dominus. *&, paulò poſt,* uos diſperſiſtis gregem meum, & eieciſtis eos, & non uiſitatis eos: ecce ego uiſitabo ſuper uos malitiam ſtudiorum ueſtrorum, ait Dominus. *Agite nunc, exponite diuina elogia ſecùs, atque ſedis Apoſtolicæ præſides, et ſummâ doctrinâ, et mirâ ſanctitate præſtantes, nec non eruditiſſimi, ipſiq; ſanctiſſimi Doctores, quibus Eccleſia auctoritatem dedit, intellexerunt; dicite fuiſſe Pontificum officio iure humano inſtituta. Niſi putatis Sacerdotium ueteri teſtamẽto eſſe à Deo conſtitutum: nouo autem ab homine inductum; aut diuinâ inſtitutione eſſe illud quidẽ, ſed uni datum Pontifici Romano: quaſi uerò cæteri Antiſtites non Epiſcopi ſint, ſed Chorepiſcopi; non ſummi Sacerdotes, ſed Vicarij; non Paſtores, ſed mercenarij, quos quidem ille ſummos Sacerdotes fratréſque ſuos appellat, tãquàm collegas, ſociósque ritè adſcitos in pecore Domini cõpaſcendo. Cùm ipſe ſit Princeps omniũ Paſtorum, uniuerſoq; pecori præſideat; quòd cùm ille idem in multos greges diſtribuiſſet, eòquòd cuſtodia multorũ egeret, ſuũ maximo cuique ſacerdoti, ut Deus præcepit, gregem tribuit cuſtodiendum. Quod præceptũ, quod inſtitutum, quem morem Dominus Deúsque noſter Apoſtolos docuit, Apoſtoli nobis tradiderunt: ut quiſque ueſtrûm ex epiſtolis Clementis, Anacleti, Alexandri, cæterorum beatiſſimorum Pontificum, ſi uelit, didicerit. An non animaduertiſtis in conſecrando, quæ uobis dicerent, committerent, mandarent,*

darent, quæ in uobis requirerent, quæ à uobis exigerent, quæ nobis à Deo precarentur, atque optarent, qui uos consecrabant? omnia sanè eô pertinebant, ut quisque uestrûm sè intelligeret, à Deo in Episcopos relatum esse plebis commoditatum, non suarum causâ; ut populo ad regendum suscepto ministraret, non ut ab eo sibi ministraretur; ut oues sibi commissas pasceret, non degluberet; custodiret, non dissiparet; seruaret, non perderet; ut ipse in earum custodiâ pastioneq; resideret, non alteri cuiquam commendaret. Quid? Euaristus ille sanctiss.
Eph. 5. *Pontifex, ut Paulus mulieris cum uiro connubium mysterium esse ostendit, quo Ecclesiam uniuersam nuptam esse Christo significatur: nônne suam cuiusque Episcopi sponsam Ecclesiam esse demonstrauit; atque hoc coniugium cum illo comparauit, quo femina uiro nubit: ut, quemadmodùm uir coniugem suam derelinquere nô debet; ita nec suam Ecclesiam, cui iam consecratus est, Episcopus deserere, cùm sanè illud carne, hoc spiritu sit? At nemo unquàm ita stolidus fuit, ita socors, ita in se ipsum negligens, ita rationum suarum despiciens, ut uxorem suam alterius fidei commiserit. Episcopus ita stultus erit, ita rationis expers, ita immemor suæ dignitatis, ut sponsam suam alterius potestati commendet? Neque uerò abnuerim usu interdum uenire, ut iustas ob causas ab eâ possit abesse, ut quod sibi soli, non Ecclesiæ secum commune periculum immineat, deuitet, ut Ecclesiæ suæ utilitati prospiciat,*

ut

ut commoda uniuerſæ Eccleſiæ conſectetur, ut publicæ commoditati inſeruiat, interdum etiam priuatæ, ſi res ita ſe habeat, ut unus ipſe, aut nemo alius tam probè ei poſſit conſulere. Tum deindè uel ualetudinis, uel animi causâ, ídque ſine multo Eccleſiæ ſuæ detrimento, nec temporis longi diuturnitate. Nam uir etiam domo ſuâ, ad quoddam tempus, negotij causâ diſcedit. qui niſi, ut primùm, licuerit, redierit, multa incommoda inſequentur, bona diſpergentur, coniux fiet impudica, domus euertetur: ita niſi Epiſcopus quàm primùm repetat ſuam adminiſtrationem, oues pereant, morbi creſcant, ſectæ factionésque erumpant, Sacerdotes deprauentur, Eccleſia deſtruatur. Quapropter amplisſimi præſides, Patrésque prudentiss. ne dubitate id declarare, quod diuinis quidem oraculis conſtat, quod ſummorum Pontificum, ſanctiſſimorúmque doctorum auctoritate, quod is, qui nunc orbi præſidet Chriſtiano, profitetur, quod priſca, eáque omni prædita ſanctitate concilia ſciuerunt, Epiſcoporum cooptationem à Domino Deóque noſtro initium habuiſſe, atque ab eodem illorum officia fuiſſe conſtituta: ne quis non reſidere in Eccleſiæ adminiſtratione, crimen non eſſe capitale arbitretur, neque contra id, quod ipſius quoque ratio naturæ non monet, ſed præcipit, non ſuadet, ſed concludit, non probat, ſed decernit. ex quo fit, ut ſtatuere uos oporteat, quod Antiocheno Concilio conſtitutum eſt, qui non iuſtâ, ſed qualibet de causâ in Eccleſiâ ſuâ Peroratio.

 non

non resederit, huic aquâ ignique esse interdicendum, nullámque fore cum cœtu Christiano communionem, donec resipiscat, administrationémque sibi delatam suscipiat, ita ut ne post hæc quidem Ecclesiæ fructus, qui interim uel capiantur, uel debeantur, consequatur; atque, si ad certum constitutúmque tempus non resipuerit, neque ad residendum accesserit, depositâ Ecclesiæ præfecturâ atque potestate, omni beneficio priuandum esse: qua animaduersione uos docet Propheta in eos uti oportere. Quod quidem ut caput Ecclesiasticæ disciplinæ, si uos prætermittendum putatis; uidete, ne quid maculæ suscipiatis, quod nulla temporis longinquitas possit eluere: immò uerò ne qua diuinæ seueritatis nota uobis inuratur ad supplicium sempiternum. sin minus; at prospiciendum esse existimatis, ne maleuolis & iniquis materia, quam optant maledicendi præbeatur; ac ne quid inuidiæ sedi Apostolicæ paretur; ueríque plus rationis habendum, quàm humanæ uoluptatis; atque Reip. Christianæ decus priuatæ commoditati præferendum: quid obmutescitis? quid, quod animi conscientiâ comprehensum tenetis, silentio constrictum, ne prodeat, cohibetis? quid dubitatis? quid ueremini in conspectu hominum, quod Deus præcipit, profiteri? Abijcite omnem hæsitationem: in metu ne ponite, quod humanum est, neque perdendi aliud, quam quod corporis fortunaéque est, potestatem habet. Mat. 19. *Illum timete, qui & corpus & animam potest in ignem æternum*

num detrudere. Considerate, si uerum est illud sapientis admodùm scitum, qui dicebat bonum nomen magnis diuitijs præstare: quàm bonum clarúmque nomen estis adepturi, quantúmque mirandæ laudis in memoriâ omnium gentium sempiternâ; si dicetur uestro consilio, studio, labore, Ecclesiæ statum in pristinum splendorem esse reuocatum. Nam principium eius restituendi erit, si opinionem illam conuelletis, quæ malo nostro, hac ætate exorta est, non iure diuino ad residendum in suâ diœcesi, Episcopum cogi oportere. Circumspicite, quantâ expectatione, pendeant omnes in toto Christianorum orbe, quantam eâ de re spem habeant; præsertim qui summâ ueneratione uos colunt, Romanæque Ecclesiæ Præsidem, ut Dei planè instar habentem, suspiciunt: quantâ lætitiâ sint exultaturi, si rerum expetitarum, tam felix initium factum esse audierint. at; quod potissimùm in optatis esse debet, non aberit, quin in cœlesti Regno perpetuæ gloriæ, uobis sit futurum. Nam Dominus noster IESVS CHRISTVS, *qui Concilium in hunc locum ad Reip. suæ prouidendum conuocauit, hoc ipsum auidissimè expectat: ut, si cupiditatibus uestris sua præcepta uos prætulisse intelligat, uos coram patre suo de se benemeritos esse fateatur, ac uitæ æternæ præmijs dignos arbitretur.* Mat. 19.

ANTONII
SEBASTIANI MINTVRNI,
EPISCOPI VXENTINI,
De officijs Ecclesiæ præstandis;
TRIDENTINA II.

Exordium.



VM existimarem, Patres optimi, in hoc tot maximorum Sacerdotum Concilio, quod uerè sanctissimum, amplissimúmque uniuersi Christianorum orbis consilium dici potest, nihil profectò desiderari, quod ad dandam rebus gerendis uim & auctoritatem attineret: uidebar enim mihi uidere, senes grauitate prudentiáque singulari, iuuenes modestiâ, morúmque probitate insigni, omneis eximiâ doctrinâ, alios iuris, alios rerum diuinarum præstanteis, et quod est maximum uinculum religionis, ac plurimùm ualeat ad Ecclesiæ tranquillitatem, ad eam in pristinam amplitudinem restituendam, ad instaurandam, stabiliendam, augendam rem Christianam, summâ charitate, ac mirificâ animorum consensione, et quasi concentu, quo nihil est Deo iucundius, coniunctos: cùm hæc, inquam, Patres optimi de uestro Concilio existimarem, eámque opinionem haberem,

rem, tãtâ lætitiâ ſum affectus, ut cohibere me nequi uerim, quin ad Principes uiros Italiæ ſcripſerim, eam eſſe hanc Synodum; quam, ſiue ad frequentiam Antiſtitum, ſiue ad exiſtimationem, ſiue ad uitæ ſanctitatem, ſiue ad ſcientiam rerum ſpectemus; cum quouis priſcorum Conciliorum, quorum laus & gloria et auctoritas permagna eſt, poſſimus ſine dubio conferre. Nunc autem quid dicam? quid ſcribam? incredibili ſanè quidem mœrore conficior, me meam perſuaſionem fefelliſſe: cùm de Rep. non idem, ut mihi perſuaſum erat, uos omnes ſentire animaduertam. Vt primùm enim propoſitum eſt, Narratio. *quod quidem eſt principium priſtinæ & ditionis et dignitatis recuperandæ, quam Eccleſia Romana non in una occidentis regione amiſit, atque delandæ malæ opinionis, in quam nos utique ueniſſe, iam palàm factum eſt, cùm plerique in ſuſcepta diœceſi neutiquàm reſiderent; quia nos iure diuino obſtringeret, atque à ſtudio noſtrarum commoditatum ad Eccleſiæ utilitatem, & à cupiditatibus noſtris, ad curam earum rerũ, quæ ſunt Domini noſtri* IESV CHRISTI *auocaret, pars noſtrûm ſpeciem illam aſſimulatæ de re Chriſtianâ uoluntatis cœpit exuere. Itaque ei ſimiles eſſe uidentur, qui uomicæ, qua malè affectus eſt, non modò facilè patitur fomenta, & quæ deliniunt, apponi; ſed fert etiam periucundè: cùm autem nouacula ad eam excidendam, aut candens carbo ad exurendam admouetur; accipit ita permoleſtè, ut cultrum tonſorium, ignem'ue iubeat confe-*

ſtim

stim amoueri. Sic ijs uidetur contigisse, qui nolunt declarari, quo iure ad commorandum in administratione, quam sumpserunt, compellantur. Cùm hactenus quæcunque ad curationem ægrotantis Ecclesiæ allata sunt, propterea quòd doloris mitigandi uim haberent, iucundissimè tulerint: ubi autem non pauci postulassent deliberari, an qui pecoris Domini Deíque nostri custodiam susceperint, diuino præcepto obligentur; ac si id esset ferrum, quo ulcus intestinum ad uiuum resecari, atque ignis, quo exuri deberet, iniquo animo acceperunt. Nempe hic ille culter est, hic ille ignis, quo in terrarum orbem, se erat immissurus Dominus noster IESVS CHRISTVS, *altero ut præcideret, altero ut exureret ulcera cupiditatum humanarum. Atque adeò id iniquè acceperunt, ut cùm planè perspicerent, si ius, quo stringimur, diuinum esse declaretur, nobis adimi omnino, quas sine ratione interdum causas prætendimus, uoluptatibus nostris indulgendi: omnem mouerint lapidem ad hoc medicamentum deuitandum, quo nihil est salubrius, nihílque magis necessarium ad morbum, quo laborare solemus, expellendum: nec defuerit, qui scribere ueritus non sit, iuris declaratione de auctoritate sedi Apostolicæ de tractum iri: quasi in hoc sacro sancto Cócilio sint, qui Romanæ Ecclesiæ maiestatem imminuere cupiant. Quisnam ita à Christianâ religione abhorret, in cuius animum tam impia, támque nefaria appetitio cadat? In hoc quidem certè Concilio is non erit: cùm*

omnino

omnino nemo noſtrûm, non enixè omnem operam nauaret, omnem curam adhiberet, omnem laborem conferret, omnes denique uires animi atque ingenij, omnes opes, uitam etiam profunderet, ad ornandam, augendam, amplificandam Romani Pontificis Poteſtatem, qua ius ipſe ſuum ditionémque non modò retineat, ſed in omnes quoque terrarum fines, promoueat, proferat, protendat: cùm in illo uno & columen decúsque, atque auctoritas religionis Christianæ ſeruetur; & priſcæ amplitudinis Romanæ, quæ in Principe maieſtas elucebat, retineatur. At huius calumniæ molitor; ſi quis eſt, qui tam iniquè, tam æquam poſtulationem interpretatur, nónne uidetur ex patre ortum alio, quàm à Deo duxiſſe? quis æquâ bonâque id mente acceperit? quis animo adeò callum obduxerit, cui non ſtomachum id moueat. quis ita ferreus fuerit, qui non ſummo dolore laceretur; ſi repertus ſit, quem tam pio ſanctóque Concilio notam impietatis inurere non puduerit? An non inſigni dedecore, Patres ottimi, hanc Synodum afficit, qui tanti ſceleris crimen, in tot patres, eóſque perdoctos, dignóſque ſummâ ueneratione conferre non ueretur? ſeptuaginta enim Antiſtites, quorum & ſanctitatem & doctrinam nemo non laudat atque obſeruat, ego etiam admiror, iuris declarationem efflagitant. cæteri in tres partes diuiduntur. Nam alij ſibi eam poſtulationem, conſulto quidem Pontifice Maximo, placere dixerunt. alij, niſi conſulto eodem Pontifice, non placere: pauciſſimi

ciſſimi non placere omnino. Itaque ad Pontificem Maximum, qui rem ipſam referebant, partim eam non improbare uidebantur, partim etiam probare; ueriti, ut puto, ſibi placere abſolutè ac ſine ullâ conditione affirmare: qui tum primùm aſſerere cœperunt, ut ficti criminis ſuſpicionem uitarent; qui iam anteà planè ac ſine ullâ hæſitatione, ut expurgarent, ac dimouerent: uſque adeò ne in offenſionem primæ ac ſummæ ſedis inciderent, uerebantur. At his quidem ignoſcendum eſt, cùm uel in animum conſtantem ſapientis cadere metus interdum ſoleat. ſi quis autem tot Antiſtites tantâque præditos ſanctitate, támque mirificâ animi propenſione, in poteſtatem dignitatémque Eccleſiæ Romanæ affectos ſceleris maximè infandi falsò inſimulauit; qua pœnâ, Patres Ampliſſimi, mulctandum eſſe cenſetis? Ego uerò nullam profectò ab eo popoſcerim, niſi ut acutum conſcientiæ mucronem in ſe ipſe ita diſtringat, qui

Diuiſio. *tandem mutatâ ſententiâ reſipiſcat. Quamobrem ad conuellendam hanc ſolicitudinem, qua multorum animi punguntur, oſtendam multùm abeſſe, ut, ſi à Deo præceptum hoc eſſe ſtatuatur, ſanctiſſima ſedes Apoſtolica detrimenti quicquam ſit acceptura. Deindè proſequar, quæ heſterno conuentu à me de iure naturæ, atque de diuino in eâ de re diſſerendo fuerant inchoata: atque ita proſequar, ut, quæ tunc erant quodammodo affecta, hodie Chriſti ſpiritu adiutore conficiam. Atque ſi Chriſtianæ charitatis igniculi in animis ueſtris extincti non ſunt, nec ſemi*

na

na rerum diuinarum in mentes uestras iacta exaruerunt, uos etiam atque etiam oro, atque obsecro, Patres optimi, ut omni propriæ priuatæq; commoditatis ratione abiectâ, omníque rerum humanarum curâ depositâ, quemadmodùm sanctissimos Ecclesiæ præsides decet, qui ad restituendam amplificandámque Rem Christianam, in hunc locum conuenistis, animum ab omni perturbatione liberum, ad quæ dicturus sum, intendatis. Ita enim ea uos puto esse probaturos, ut non modò esse declarandum, quo iure in suâ quisque diœcesi Episcopi residere cogantur, uerùm etiam & lege naturæ, et Dei præcepto, eos ad hoc ipsum compelli, constituendum censeatis. Ac primùm peto, atque optò à te, quisquis es, qui iuris declarationem sedis Apostolicæ auctoritati obesse arbitraris, ut retegas, quod ais in eâ uenenum latere. Euomatur, ut nullo prorsus modo nocere possit: in apertum prodeat, ut omnino deuitetur. Si præfecturas Ecclesiasticas, inquis, earúmque munera ad diuinum ius attinere Concilium declararet; eriperet sanè Pontifici Maximo potestatem augendæ, minuendæ, diuidendæ ditionis, mutandæ, transferendaéque sedis Pontificialis; nouæ etiam instituendæ diœcesis; tribuendæ, auferendæ'ue administrationis; deferendi, adimendíue magistratus. Iam uerò petere opus non esset Episcopis à summo Præside, parochis ab Episcopo, ut nominationem ratam haberet, uel collegij Sacerdotum, uel plebis, uel cuius uis alîus, cui fuerit ius nominandi.

Obiecta.

nandi. Nam qui præeſt uniuerſæ Eccleſiæ, quoniam à Deo fuit inſtitutus, cùm ritè electus fuerit, à nemine eius electio confirmetur, oportebit. Neque Pontifex Maximus inferiores Antiſtites; neque ſummi Sacerdotes, qui parochijs præpoſiti ſunt, poſſent prohibere, ne abſoluendi facultate uterétur, etiam ſi aquâ ignique ijs interdicerent, admerentq; omnium rerum cum cæteris communionem. Idque propterea quòd ſeruus atque adminiſter legem Domini néque abrogare poteſt, neque ullâ ex parte immutare. Neque Dei poteſtatem, neque uim naturæ hominum quiſquam poteſt, quo minùs agat, cohibere. nunquàm enim effecerit, quin ignis materiæ, quæ arida fuerit, admotus incendium excitet. Adde, quòd neque ille, quæ inferiorum Pontificum iuriſdictionem attingunt, ad ſe aduocandi uim haberet, alijs'ue delegandi, neque mittendi aut ſpeculatores in eorum præfecturas, qui omnia diligenter inſpectent: aut legatos, qui exactè, prout opus fuerit, proſpiciant. At in Apoſtolico ſolio ſedenti non eſt dubitandum, harum omnium rerum fuiſſe ſemper poteſtatem, ſempérque futuram eſſe: cùm ille unus uniuerſæ Eccleſiæ ſit à Deo præfectus, qui maximus ut iudex & præſes è ſummo templi uertice omnia proſpectaret, ac prouideret. Quippe ille unus diœceſes tribuit, minuit, amplificat, mutat, unam in duas diuidit, duas in unam redigit, ſedes Pontificias transfert, collapſas inſtaurat, nouas inſtituit, Eccleſiarum dignitates conſtituit,

tuit, auget, extollit. Ille unus Episcopos creat, nominatos confirmat, pascendis Christi ouibus præficit, magistratu interdum priuat, potestate spoliat, in eos animaduertit: interdum etiam præfecturas eorum commutat, multa ijs impertit, multa adimit, multa concedit, multa reuocat: omnia denique suo arbitratu dispensat, administrat, gerit. Agnosco argumenta Crematēsis doctissimi Antistitis; qui, cùm prudenter ac disertè scribendo, optimè esset de sanctiss. sede Apostolicâ meritus, in amplissimum Romanæ Ecclesiæ collegium meruit cooptari. Iis ille exercitum armauit, aciémque instruxit contra eos, qui ita Sacerdotum ordinem ac iurisdictionem in ius diuinum referebant, ut Pontificis Romani nullam esse habendam rationem existimarent: non contra nos, qui eundem uniuerso Christianorum orbi præsidere contendimus, in terris Dei uim ac numen tenere, omnem eius potestatem habere, rerum omnium Ecclesiasticarum esse administratorem, profitemur, cuius nutu ac uoluntate omnia fiant et regantur, nihilque de his, quæ à te illi tributa sunt, & quidem uerè, tibi non assentimur. Atqui mysteriorum administrationem, Antistitum electionem, atque confirmationem, iurisdictionem; diœcesium parochiarúmque distributionem, diminutionem, amplificationem, mutationem, cateráque id genus omnia ex diuino esse instituto affirmamus. Itaque, cùm ille Episcopos creat, suum cuique hominum gregem custodiendum, pascendúmque committit, aut commissum

Refutatio cum confirmatione coniuncta.

missum adimit, potestatem iuris dicendi tribuit, aut tributam aufert, id omne eum ex Dei præcepto, ut Dei administrum, facere asseueramus. Ac, ne dubites Crematensem, quem tuæ sententiæ puto à te auctorem proferri, idem sentire: ab eo dictum esse, memineris uelim, Ecclesiasticas potestates mandato Christi à præside sedis Apostolicæ deferri. Iam uerò, cùm ille idem planè, quod omnes Theologiæ scriptores asserũt, fateatur Ecclesiæ quidem ordines à Deo proximè fuisse constitutos; consequitur, ut eorum munia, quæque cum ijs apta connexáque sunt ab eodem auctore proximè item manauerint, præsertim cùm ille ordines sui quenque operis causâ instituetit. Ex quo fit; ut, quemadmodùm Sacerdos, cùm primùm Sacerdotio fuerit initiatus, potestatem sui muneris obeundi assequetur: ita Episcopus, ut primùm summi Sacerdotis fuerit adeptus dignitatem, officij sui fungendi ius etiam nanciscetur: Immò uerò præfecturâ, pro qua iam Deo consecratus, ac propemodùm deuotus erit, fungatur, oportebit. Etsi enim Sacerdos uel sine cuiusquam ædiculæ titulo creari potest, Episcopus sine Ecclesiasticâ præfecturâ non potest. Quid tum inquies? an non & iurisdictionem à Romano Pontifice accipit? nisi enim ab eo acciperet; ab eodem illâ priuari nequiret. Adde etiam ordinis dignitatem. nam inter ordines iuris Pontificij doctores, summum Sacerdotium recensent. quod illis concedi potest, quatenus eius dignitas in animo Episcopi, tanquam insignis quædam

Obijcitur.

Refutatur.

quædam nota, quæ nunquàm deleri queat, inscribitur. Neque enim Episcopus quisquam crearetur, nisi eum ille idem uel eligeret, uel eius electionem confirmaret, electúmque consecraret, consecrandúmue curaret. At inquies, quid est, ut Episcopus dignitatem à Deo proximè habere dicatur, si à Pontifice maximo accipit? Anacletus Diui Petri discipulus Romanæ autem sedis Apostolicus Antistes, id scrupuli ex animo tibi euellet. Is enim scripsit, cùm electionem summorum Sacerdotum sibi Dominus reseruasset; eam tamen bonis Sacerdotibus; & , qui Dei spiritu aguntur, populis concessisse. Itaque, cùm Pontifex Romanus Episcopum nominat, aut alterius nominationem, ut Christi Vicarius, corroborat, Dei tanquã princeps administer fungitur potestate: idque omne Deum ratum habere existimandum est. Cùm autem id sibi Deus reseruarit, ut ordinis dignitate, qui semel affectus est, exui nunquàm possit, ab eo proximè deferri dicta est: quippe qui spiritu suo, ita eum afficiat, ut administrante Romano Pontifice, aut cui munus hoc ipse delegârit, sibi ille consecretur, & quodammodò deuoueatur. Deuouetur autem, non more ueterum, qui superstitione ducti, sui capitis deuotione cùm se Reip. Deos placare arbitrarentur, in mediam aciem hostium, ut occiderentur, irruebant; sed eâ religione obligatus; ut, si res postulauerit, sinat se pro Ecclesiæ salute mactari: quemadmodùm Dominus noster IESVS CHRISTVS, *quem ille imitari debet, pro*

Obijcitur.

Refutatur.

uniuersi generis humani redemptionę, libentissimo animo se præbuit immolandum. Quamobrem, cùm auctore Deo, Episcopus & ordinis dignitatem, & uim sui muneris exequendi consequatur; atque hæc inter se ita connexa, aptáque sint, ut separari nequeant; his nunquàm poterit utique spoliari. Quid est ergo, inquies, quod proximè habet à Pontifice Maximo? nempe usum suiiuris, suæque potestatis; qua semper fungetur, nisi fuerit iustas ob causas impeditus. Impedietur autem, si Præses Maximus interdixerit, aut quam ei præfecturam Ecclesiasticam detulerat, ademerit. Ademerit autem nunquàm, nisi meritò & iure. nam immeritò si faceret, in maximam Dei offensionem incurreret: quippe qui mandatum eius non seruaret. Nam ille idem Cremantensis, uel quæ proximè ait deferri à summo Antistite, Dei mandato deferri confitetur. Quapropter, cùm ex diuino instituto Pontifex Maximus Episcopos eligat, aut eorum electionem confirmet, eósque Ecclesiis, ad quarum administrationem electi sunt, curet consecrandos, iurísque dicendi usum, potestatísque exequendæ facultatem tribuat: consequés est, ut in ius diuinum omne hoc genus conijciendum sit. Nisi putas, quod regis Vicarius regis mandato exequitur, ad ius regium attinere: quod in locum Dei constitutus qui sit, ex eius præcepto administrat, non ad diuinum spectare. An qui ab illo uel ditionem, uel præfecturam aliquam accipit, regi fidem obstringit: qui ab hoc Ecclesiam sumit admini-

strandam ac iurisdictionem, nullâ religione Deo obligatur? Ex quo fit, ut non sequatur, si iure diuino hæc comprehenduntur, à sedis Apostolicæ potestate abhorrere. Atqui inquies, si ad ius diuinum id omne esset referendum, quod iure facit Pontifex Romanus, quicquid ille sciuit, constituit, decreuit ad idem ius referri oporteret; nec Pontificia lex ullo modo à diuinâ distingueretur. At multùm refert, statuat'ne Apostolicæ sedis Antistes ex Dei præscripto, an ex potestate duntaxat, quam ab eo accepit. Nam à Deo potestatem eum habuisse nō modò quod ille præcipit exequendi, sed noui etiam iuris condendi profitemur: multáque etiam sciuisse, quæ in diuinis præceptis non recensentur: sed quæ ad diuina mysteria dispensanda spectant, omnia Dei mandato administrare. At inquies, ostende Dei mandatum, quo & Episcoporum electionem, atque consecrationem, & iurisdictionem asseritis mandari. Quanquam hoc ostendere tuum potiùs, eorúmque est, qui nos impietatis accusant, quasi non esse ex Diuino iure sedis Apostolicæ summam potestatem contendamus; tamen, ut desinas tam turpe, nefandúmque crimen nobis obiectare, at perspectum habeas nos asserere maximam ac plenissimam potestatem Romano Pontifici à Deo delatam esse: dicimus, quo omne hoc genus continetur, aut mandatum illud esse, quod scripsit Ioannes, cùm Dominus Deúsque noster iussisset Petrum pascere oues suas; aut scriptum non esse illud quidem, sed memoriter ita traditum, ut usque

Obijcitur. Refutatur. Opponitur. Refellitur. Ioan. 21.

que à constitutâ Ecclesiâ, ad tempora hæc nostra seruatum fuerit. Quocircà diuino præcepto hæc omnia comprehendi asseueramus. At uerò & quæ dicta sunt eâ de re, & quæ dicenda, ut sint planiora, de iure pauca quædam paulò altiùs mihi uidentur esse repetenda, ut qua lege obstringimur, intelligamus. Nam ius omne aut scriptum est, aut minùs. Quod scriptum non est, aut naturæ, aut consuetudini tribuitur. quod scriptum, uel à Deo, uel ab homine positum est. Quod quidem à natura proficiscitur, necessarium est, atque diuinum habetur. nam uis illa, quæ in mentibus nostris uiuendi præcepta impressit, à Deo non est dubium, quin originem ducat. Mores autem si probauerit uetus communísque consuetudo, quæ naturæ uim obtinet; & altera natura dici solet; præsertim cùm ab eo ducta sit, qui uel ciuitatis, uel gentis, uel nationis cuiusquam genitor auctórque fuerit, eámque institutis informauerit; non est quin immutabili cuiusdam inuiolatæ legis necessitate teneantur. Quod autem ab homine duntaxat datú est, sub mutationem cadere potest: quod uel à Deo, uel ab utróque nunquàm mutari potest. Atque in ius diuinum conijcitur, non modò id omne, quod cùm Deo auctore constitutum sit, scriptum comperitur: uerùm etiam quodcunque à Domino nostro IESV CHRISTO *Apostoli acceperunt; ab Apostolis, qui proximè successerunt; ab ijs, qui sunt deinceps subsequuti. nec non quicquid ex eius præscripto instituitur, ac siqui sunt mores, si qui*

qui ritus, qui certè ſunt, qui ab eo ipſo, qui Eccleſiam fundauit, atque conſtituit, ad hanc usq; ætatem manauerunt, atq; omnia documenta, quæ nobis natura dedit, etiam ſi ſcripta non ſint. nam multa, quæ illa docuit, literis tradita reperiuntur. Nec uerò non uſu uenit, ut quod Deus mandauit, homines quoque ſtatuerint: cuiuſmodi eſt, quod nunc tractamus. Nam & ueterum Concilia, & Romani Pontifices, ut uniuerſæ Præſides Eccleſiæ, non ſemel Dei mandato iuſſerunt Epiſcopos ſuâ quenque in diœceſi reſidere. Itaque ipſa in primis Maieſtas atque facultas ſanctiſſimæ ſedis Apoſtolicæ, quæ ſumma & ampliſſima eſt, & uniuerſum terrarum orbem complectitur; iure diuino perſcripta eſt & conſtituta; quo, ut omnem rem Chriſtianã adminiſtrat, ita in partem operis Epiſcopos uocat, eiſq; diœceſes tribuit, & quidem ut neque curam adminiſtrationémque illarum deponat, quò minùs eis ſuo arbitratu queat proſpicere; neq; ſibi adimat poteſtatem præcipiendi, quod expedire putauerit. Quippe cùm, niſi Pontificatu ſe abdicauerit Romanæ Præſes Eccleſiæ, neque illâ eximi curâ, neque hac poteſtate poſſit, quin peccet. Hoc enim ei munus detulit Chriſtus, ut uniuerſum pecus paſceret ſuum, & cuſtodiret. Epiſcopi autem, cùm eius ſint planè oues, eodem iure illi parêre coguntur. Quamobrem qua lege, quæ à Deo data eſt, hi creati cùm fuerint & conſecrati, ad obeundum munus ſibi delatum compelluntur: eâdem quoties ille idem ad aliquem laborem

extra Ecclesias eos accerserit, ad parendum impelli poterunt, ut si dicto obedientes nō fuerint, peccent, mulctandique sint. Verùm enim, si quando suo discessu diœceses multum detrimenti existimauerint esse accepturas, curent, ut eâ de re ille certior fiat. Ac si nihilominus idem imperauerit, imperata faciant. rectè, an iustè, an quod oportet, imperet, ipse uiderit, ipse rationem reddiderit. Nobis autem, ut pareamus, ac tanquam oues Pastoris uocem audiamus, necesse omnino esse norimus. Quapropter concludendum est, quo iure ille ad custodiam pastionémque totius Christiani gregis compellitur, eodem nos urgeri; ut & sibi parēre, & quod quisque pecus à se suscepimus, custodire, atque pascere debeamus, seruatâ quidem, ac nullo prorsus modo imminutâ illâ suâ maximâ atque amplissimâ potestate: quæ quem in modum sibi utenda sit, ipse prospexerit. Nostrum autem erit, capessere iussa, & facere imperata: non præscribere, quo pacto ius ipse suum persequatur. Hæc est nostra sententia de sanctissimæ sedis Apostolicæ auctoritate ac facultate. Hoc idem sentiunt omnes, qui postulant declarari, quo iure Antistites in suâ quisque Ecclesiâ residere cogantur. Ac si eodem, quo ille, nos quoque obstringimur iure, idem autem ius se ipsum non perimit: quid est, ut uerendum sit, ut si hoc declaretur, ne Apostolicæ Maiestatis imminutio consequatur? An quo illa constituitur, quo stabilitur, quo confirmatur, fieri potest, ut eiusdem iuris declaratione minuatur? immò ue-

mò uerò maximè uerendum est, ut si iuris diuini declaratio negligatur, ne iuris, ne potestatis, ne ditionis denique illa suæ (quod Deus omen obruat) multam faciat iacturam, secúmque nos planè omneis in eandem calamitatem trahat. Eâdem enim procellâ, eadémque agitemur oportet tempestate. nam ex cæterorum pernicie membrorum, ut molestiam capiat, ruinâ quidem non opprimitur caput: at capite collapso, totum corpus concidat opus est. An non, si fundamentum diruetur, ædificium omne corruat necesse erit? quod rimas agit, quod labat, quid reliquum est, nisi ut penitus ruat, præcépsque feratur? Ius enim diuinum & caput & fundamentum est uniuersæ Rei Christianæ. Videte, ne dum uel dissimulatione nostrâ, uel negligentiâ, uel oscitatione sinitur ignorari, ita contemnatur, ut demum conculcetur. Quippe una nauis est iam omnium Antistitum: quæ quidem, danda est opera, ut recta teneatur, suique iuris normâ regulâque gubernetur. Vtinam prospero felicíque cursu, licet sapientissimo gubernatore utatur; ut in portu salua collocetur: atq; rebus, quas ij maximo habent in precio, plurimíque faciunt, onusta illa quidem, sed maximis turbinibus fluctibúsque ita agitata, ut nisi oneribus alleuetur, uastissimo mari ne obruatur, horreamus. Iam uenti undique, sole erepto, increbrescunt; iam instant magis undique circunflare; iam tempestatem exortam, imbrémque augent; iam naufragij periculum undique circunstat. Initur consilium, ut

salutis causâ bonorum externorum iactura fiat: nemo oneris proijciendi initium facit. quisque enim ita chara, quæ dicuntur esse fortunæ, habet; ut uitam longè, retróque ponat. Prospiciant igitur, prospiciant, ne quod si minùs prospectum fuerit, consequatur, necesse est, hac rerum iucundarum potiùs, quàm bonarum cupiditate suspensi et incerti obscurâ spe, dum animi pendent, morámque interponunt, qui uehuntur; nauis & marinis et pluuijs aquis opleta mergatur, euertatúrque, secum uectores omnes, & bona eorum omnia in profundum rapiat: ac fiat, ut uerum id, quod uulgò dicitur, esse reperiatur, nihil demum retinere, qui rem omnem seruare cupit. opus est enim, Patres Amplissimi, qui saluam uult rem Christianam, sedísque Apostolicæ dignitatem, suarum commoditatum faciat detrimentum, earúmque rerum; quæ, cùm amplitudinis speciem præseferant, ab eâ tamen multum abhorrent. An non perspectum habetis, in quantam, & quàm præclaram expectationem de hoc uestro Concilio Reges, Principes, Respublicæ, nationes denique omnes nominis Christiani adducantur. Quid à uobis aliud postulant, atque expectant, quàm uitæ, morúmque emendationem? Hanc eorum nomine poscunt, efflagitant, orant, qui legatione funguntur, uiri Illustres, atque grauitate, sapientiáque præstantes, ut literis ad uos datis intellexistis, ut nutu eosdem frontísque significatione, qua animus declaratur, præseferre animaduertere potestis.

stis. Huius caput esse dicunt, quam nos enixè ac uehementer petimus, iuris diuini declarationem: qua nobis persuasum erit, quæ sunt Christi esse quærenda, non quæ nos oblectant: quæ Ecclesiæ conducunt, non commoda nostra consectanda: Corpus Christi, quod constat ex cœtu Christiano, morum probitate, rectâque doctrinâ ædificandum, non prauitate euertendum: Diuinæ scientiæ præceptis, uitæq; probatæ exemplo populum docendum, non peruersâ institutione, deprauatâque ratione uiuendi ea præbenda documenta, quibus deterior propensiórque ad uitia reddatur: pecus Domini Dei nostri, cuius curationem suscepimus, nobis custodiendum, non mercenarijs commendandum; pascendum, non perdendum esse: atque ita pascendum, ut, quod pingue sit atque ualens, seruemus; quod infirmum, corroboremus; quod ægrotum, sanemus; quod confractum, restituamus; quod abactum, repetamus; quod perierit, quæramus. Si ad hæc omnia, qui à ditione Romanæ Ecclesiæ defecerunt, perspexerint, nos toto pectore, totóque animo incumbere; num dubitatis, quin quàm primùm resipiscant, atque in fidem potestatémque Romani Pontificis se conferant? At contrà, cùm ex omni plebe Christianâ pro comperto nemo non habeat, Dei præcepto Antistites ad residendum in suâ quenque diœcesi compelli; si audierint Concilio uestro non placere hoc esse declarandum; non modò apud eos, qui iam pridem nos omneis, Principémque nostrum maledictis conscindunt,

in quam

in quam uenimus, malam opinionem confirmari acceperimus; uerùm etiam hoc idem cæteri omnes de nobis opinari incœperint. Existimabunt enim hoc nos constituere noluisse, ne, ubi constitutum sit, libertatem perdamus, uoluptatibus nostris licentiùs indulgendi; splendidiùs uiuendi; quò libuerit, liberiùs uagandi; quo uis in loco potiùs, quàm in Ecclesiis nostris commorandi; quarum libet rerum in administratione magis, quàm earum, quæ munus nobis delatum attingunt, residendi; diœcesium, quæ inter se distent, curationis sumendæ, multis diuersísque earum uectigalibus fruendi; Domicilij perpetuò Romæ habendi; Romæ sedis omnium rerum, fortunarúmque nostrarum collocandæ; Regiæ frequentandæ; Regibus inseruiendi; officijs, quæ ad munia nostra non attinent, fungendi; ambiendi, ad summos honores contendendi; ea demum omnia solutiùs appetendi, consequendi, agendi; ex quibus fit, ut malè audiamus, ut contemnamur, ut ludibrio simus ijs, qui nos ueluti Dei Sacerdotes, Ecclesiæq; Antistites uenerari, ac suspicere deberent; ut denique sanctissimum Christi nomen, in nobis paruipendatur, causâque nostrâ eminentissimæ sedis Apostolicæ amplitudo spernatur. Itaque cauendum est; ne, dum nimiâ Domini nostri indulgentiâ hæc omnia uel consectamur, uel retinere studemus, eiusque patientiâ ad nostras cupiditates explendas abutimur; quod reliquum est in Germaniâ, quod non dum expugnatum in Galliâ, quod uix in Hiberniâ custo-

custoditur, quod in Pannoniâ, atque in Ponto hactenus defensum labat, quod adhuc in Hispanijs, atque in Italiâ integrum seruatur, amittamus. At inquies, si Dei mandato residendum est, adimatur oportet Pontifici Maximo potestas dispensandi. Quid est dispensare? num rem Christianam euertere? num perdere; quod Dominus noster IESVS CHRISTVS *sanguine suo fundendo, uitâque impendendâ comparauit? An non idem est ac rectè probéque administrare? Hoc certè quidem nunquàm consequetur, quin benè rem omnem dispenset: si fidelis, ut à Paulò didicit, erit ille administrator, ut à Domino, etiam prudens. Dicam, inquies, apertè: adimatur, oportet, potestas, quod libuerit, indulgendi. Num putas summam illam facultatem atque auctoritatem, quam ipse à Domino ad suum templum construendum accepit, ad diruendum ei datam esse? Caue, ne opineris sanctissimum ac sapientissimum uniuersæ Ecclesiæ Præsidem ita malè affectum, ita malè institutũ, eâ prauitate imbutũ, hoc animo, hoc ingenio præditum esse; ut, quod liceat quidem, sed non deceat, uelit; iúsque diuinum sinat ignorari, ut nobis nostríque similibus, quicquid appetimus, assentiatur. Ipse est diuinæ legis interpres: ipse eam planè sciat, seruétque necesse est: ipse uiderit, quod nobis sit concessurus. nemo hoc ei præstituit. Illud autem mihi compertum est, nondum quenquam eorum, qui in Apostolico solio sederunt, id quod nobis cordi est, indulsisse: sed multos* 1. Cor. 4. Mat. 24.

tos perspicuè cauisse, ut quod perspectum Dei præceptum habebant, tuerentur, ne cui daretur Episcopo ab Ecclesiâ suâ licentia discedendi. Nec sanè aliam ob rem, quàm quòd Dei mandato cogitur summus Pontifex eam curam in grege Domini pascendo adhibere, ut quos in partem operis uocauerit, in suâ quenque Diœcesi iubeat residere. At, quanquam inquies, hoc tibi assentiamur, necesse est; concedamúsque etiam sinere eum non posse Episcopis non esse in ouium curatione residendum, quin diuini iuris uim frangat; nec temere hoc onere quenquam alleuare, quin in salutis periculum pro eo se inferat: non tamen continuò sequitur, ut residendi à Deo præceptum Antistites omnes habeant: cùm ius eis præscribat, modúmque muneris exequendi Reip. Christianæ præses, ac pœnas arbitratu suo constituat. Agè uerò, quo nomine id omne ille facit? num alterius, quàm eius mandato, cuius ipse personam gerit. An non est ille Domini primarius administer, qui nunquàm id genus quicquam exequitur, quin eius nomine id se præstare fateatur? Qui alterius nomine uel præcipit, uel mandat, uel edicit; quod uel præceptum est, uel mandatum, uel edictum, nón ne hoc eius iure præscribit? Itaque planè fateor, me nunquàm intelligere potuisse, quod diuino iure Pontifex Maximus cogitur administrare, eodem iure id non teneri: atque concedi quidem Episcoporum & ordinem, & munus à Deo fuisse institutum; traditúmque ijs ab eodem auctore pascendi præceptum;

Obiicitur.

Refutatur.

eodémque

eodémque præcepto in primis Antistitem Maximum compelli ad Episcopos eligendos, quibus diœceses committat, nec non ad iubendum eos in suâ quenque Ecclesiâ residere: idque illum iubere, cùm eis præfecturas Ecclesiasticas defert: negari autem omnino quos ille creat Episcopos, eodem iure obstringi. Pugnant hæc profectò inter se, pugnant: quorũ prius cùm planè uerum sit, & minimè controuersum; consequitur, ut posterius falsum omnino ducatur. Illud autem enuntiatum, si ut uerum, & ab omni controuersiâ prorsus alienum sumamus, Quicquid à Deo mandatum habet Pontifex Maximus, id omne ad ius diuinum attinere: assumamus deindè, Sed ut Episcopos crearet, eisque diœceses tribueret, à Deo mandatum ille habet: consequitur, ut Episcopos creare, eisque diœceses tribuere, ad ius diuinum attinere concludamus. Nam assumptionem mihi concedas oportet: quippe qui & ordinem Episcoporum, & officium, quod eis fungendum est, à Domino constitutum esse fatearis. At inquies, non sequitur, ut diuino mandato, uel me, uel te Episcopum efficeret, atque uel huic, uel illi diœcesi præficeret. Quídni? an non genere uniuerso singula comprehenduntur? Cùm enim Dominus noster IESVS CHRISTVS *pro uniuerso genere humano redimendo se immolandũ in arâ crucis præbuisset, corpúsque suum, ut cœleste alimentum, pro mundi uitâ dedisset; nemini dubium est, singulorum eum saluti prouidisse: cùm mysterium illud Corporis, sanguinisque sui*

Opponitur.

Refellitur.

sui diuinissimum instituisset, ecclesiæque tradidisset, qui cœtus Christianorum est, singulis Christianis, Sacerdotibus quidem rem diuinam cùm facerent, ut ipse instituit; cæteris uerò quem in modum illa statueret, dedisse: cùm duo illa mysteria hominum saluti in primis necessaria, sanctam humani corporis lauationem, religiosámque confessionem erratorum uniuersè edidisset, singulis utique consuluisse, dicendus est. Quid? cùm Apostolos Sacerdotes fecisset, nónne cæteros omneis, qui essent successuri, eodem ordine comprehendit? Cùm eosdem Apostolos Episcopos creasset, spirituque sancto afflauisset, atque ad docendum misisset, eâdem illâ institutione non quénque eorum, qui in summorum Sacerdotum ordinem cooptandi essent, complexum fuisse, ut eodem more, eodem ritu, eodem instituto, eodem iure constituerentur, existimaueris? An si de diuino instituto singulos exemeris eò, quòd uniuersè datum sit, non consequitur, ut diuina mysteria singulis ex Dei præceptione tribui non teneas? Ex quo fit, ut illa etiam deleas, totúmque ecclesiæ statum euertas, ac fidem Christianorum conuellas. Quisnam libenti animo peccata Sacerdoti confiteatur? quis salutaris alendi spiritus causâ ad sacrum conuiuium accedat? quis certâ cum spe salutis comparandæ, in sanctissimo fonte mergendum abluendúmque se dedat? quis sacris initiari, ut Deo ritè inseruiat, uelit? quis cætera mysteria sibi prodesse credat, si ex diuinâ institutione ea sibi impertiri persuasum non habeat?

An

An non, inquies, quod Ecclesia statuit, quod præscribit, non Deus; ad ius duntaxat Ecclesiasticum spectat? sed Ecclesia non Deus, quo quisque tempore, quo loco, quomodo & confessurus peccata sit, & cœleste alimentum participaturus, definiuit. Quid tum? Eodem more, inquies, cùm Pontifex Romanus singulos Episcopos eligat, singulásque tribuat diœceses, ut illa superiora, hæc item ad Pontificium pæceptum, non etiam ad diuinum referas oportet. Obijcitur.

Vide, ne fallaris: quando earum quidem rerum non eadem omnino est ratio. Cùm enim Dominus noster IESVS CHRISTVS, *mysteria illa esset editurus, nihil aliud præcepit, quàm ut ne uitam esset habiturus, qui non suâ carne, suóque sanguine aleretur: nec scelerum ueniam esset impetraturus, qui non sacerdotis iudicium subiret: ut ex eius quidem præcepto nemo ad id exequendum, antequàm periculum mortis impendeat, compellatur. Cùm autem ouium suarum curationem instituisset, eámque Sacerdotibus, quos Episcopos appellamus, mandari iussisset, præceptum dedit; quo, qui uniuersæ Ecclesiæ administrationem susceperit, ne quo tempore, ne quo in loco desit, qui suum pecus pascat, prospicere cogitur. Quocircà, ut nullâ Domini præceptione compulsus, sed optimo ductus consilio Christianorum omnium salutis prouidendæ, qui ut priscis temporibus crebro ijs mysterijs utebantur, ita deinceps ab eorum usu adeò desuefieri cœperant, ut non pauci ante mortem obirent, quàm ijs saluti suæ prospicerent,* Refutatur.

rent; Reip. Christianæ sapientiss. Præses diem, locúmque præstituit, quo cuique illa utenda essent: sic ex diuino mandato ei necesse est, cùm oues pastore indigent, hunc illum Episcopum creare, qui hunc illum gregem pascendum sumat. Quamobrem uidete, Patres optimi, quàm probanda sit hæc opinio, quæ in tot difficultates, in tam asperas angustias, in tam extrema discrimina, uniuersam Rem Christianam adducit. Nec me latent, quæ huius sententiæ Antesignani obijcere consueuerunt: sed eam uim habent, quæ nullo negotio, nullóque labore infringi possint; atq; in alium locum mihi sunt differenda. Nunc autem obsecro, Patres Amplissimi, utra pars nostrûm Apostolicæ sedis auctoritatem minuit? qui ius diuinum, quo Episcopi tenentur, declarari postulamus; an qui sinunt ignorari, ac potiùs nullum esse contendunt? Quídnam aliud est, quod augustissimam eius maiestatem tueatur, nisi ius diuinum, quo in rerum maximarum administratione uti illam arbitramur? An non floccifieret, si non diuinâ religione, sed lege humanâ, Dei mysteria impertire putaretur? Nam quò diuiniùs ea dispensare existimatur, eò plus retinet auctoritatis. ecquid est, quo magis Ecclesiæ Romanæ decus & amplitudo emineat, quàm si summo loco Sacerdotes, ex quibus ea constat, habeantur? Quis summo loco eos habuerit, si humano iure, non diuino esse constitutos intellexerit? quis magnâ ueneratione ab ijs, quæ sibi ministrantur, acceperit; si ab homine potesta-

poteſtatem ſuam eos habere, non à Deo putauerit? Nec ſanè aliud eſt, quod magis contendant, qui à Romanâ Eccleſiâ deſciuerunt, quàm, ut eam contemnendam eſſe oſtendant, quæ in eâ fiunt, ex humanâ tantummodò lege conſtare. Quòd ſi cuiusque ſummum Sacerdotium, quo nihil in terris auguſtius, nihilque ſanctius ducitur, ab iure diuino remouetur; quid eſt in Rep. Chriſtianâ, quod ad illud attinere uideatur? At eſto, nemo ſit, qui Eccleſiaſtica præcepta contemnat: cùm Pontificem Romanum Deus conſtituerit, qui ſuam uim, ſuúmque numen teneret: an non plus uenerationis, maieſtatisque habeant, quæ etiam diuina eſſe cenſeantur? Quapropter tantùm abeſt, ut poſtulatio noſtra de poteſtate ſedis Apoſtolicæ aliquid deroget, ut eam potiùs muniat, atque ſtabiliat. Neque enim eius aduerſarij poterunt, ut ſolent, obiectare, Pontificum omnem facultatem, atque omne munus ab homine, non à Deo, proficiſci; Sacerdotum eſſe inuenta myſteria, non Domini noſtri IESV CHRITI; *humanâ & præceptione & adminiſtratione, non diuinâ ea diſpenſari; Sacerdotia tribui, diœceſes impertiri, omnem denique Rem Chriſtianam humanis inſtitutis, non etiam diuinis adminiſtrari; ſi declarabuntur, quæ ad ius diuinum conferri oporteat, atque ut diuina ratio poſtulat, gerentur. Agè uerò, ſi minùs declarentur; qui, quod nos flagitamus, ex Dei præcepto eximunt, quid ſit, quo plus Pontifici Maximo tribuant auctoritatis? An non illi ipſi ampliſ-*

E ſimis

simis uerbis, fatentur diuini mandati uinculis, eius potestatem constringi, quo minus, ut libet, sit res Ecclesiasticas administraturus; à lege qua quisque obstringitur, soluturus; Sacerdotes ab obligatione ac seruitute sui officij exempturus; à curatione sui gregis, nisi iustas ob causas, quas ipse quidem habet declarare, auocaturus; uni non unius Ecclesiæ gubernationē delaturus? siquidē ad opus minimè necessariū cum Ecclesiæ detrimento, cuius administrationem ei mandauit, accerseret; alióue negotio detineret; ac si cui plures Ecclesiasticas tribueret præfecturas, quæ adeò inter se distarét, ut eis bene ille suâ præsentiâ consulere nequiret; affirmant eū à Domini præcepto discedere, atque peccare: cùm, quod ad diuini templi ædificium accommodatè construere deberet, deturbet, atque demoliatur. At, cùm eâ de re nos idem sentiamus, nobísque nulla cum ijs sit controuersia; quid est, ut molestè ferant, quod Episcopis Deus præcepit, in apertum referri? Nunquo alio nos iure, quàm quo illi ipsi, Romanum Pontificem obligamus? Nunquid ei de libertate, atque licentiâ, quam habet, detrahimus, quod illi ijdem non derogent? Immò uerò, quo illi eum premunt, nos onere leuamus. Vtinam hæc coram, PIE IIII, maximorum Pontificum summum decus, uniuersæ Ecclesiæ columen singulare, æternum sanctissimæ sedis Apostolicæ ornamentum; ut ex uultu & oratione cuiusque erga amplitudinem maiestatémque tuam, animi pietatem non fictam, ueréque tibi ac-

libenter

libenter addictam, ſine ullius priuati commodi cogitatione, uoluntatem perſpiceres. Neque uerò poſſum non uicem tuam dolere. cùm enim in hunc locum nos iuſſeris conuenire, ut ad Apostolici ſolij dignitatem tuendam, atque amplificandam, ad ſtatum Eccleſiæ in pristinum ſplendorem reuocandum, ad mores emendandos, ad omnium ſectarum impietates tollendas, eſſent omnia conſilia, ſtudiáque nostra referenda; ad nostra quidem commoda ea referre studemus. Sunt & , qui te unum omni diuini iuris neceſſitate deuinciant; ſe uerò ac nos omnino hac lege ſoluant: in te uno affirment omnium malorum, quæ nostrâ causâ eueniunt, culpam reſidere; nobis utique ueniam dari: te unum quicquid nos offendimus, quicquid uitij, aut incommodi in gubernatione, quam ſuſcepimus, Eccleſiarum accidit, præstaturum eſſe; nobis impunè per aulam ſpatiari, Romanæ Eccleſiæ proceres longo comitatu aſſectari, de domo deducere, domum reducere, res denique agere alias licere: te unum noſtræ uel deſidiæ, uel cupiditatis, uel ambitionis pœnam daturum; nobis indulgentiâ tuâ concedi, ut eâ ſine ullo periculo fruamur. Hæc illa in te pietas, PATER *beatiſſime, hæc illa religio, hæc illa cura de Apoſtolicâ poteſtate ſeruandâ: nempe ut, quæ nostra ſunt, non quæ ad te attinent, quæramus. Quippe cùm eam diuinarum legum catenis ita illi constrictàm eſſe fateantur, ut longè minùs urgeatur, ſi eodem iure Epiſcopos ob-*

stringi constituas. Iam uerò eorum hac obstinatâ peruicaciâ minui illa quidem, ne dicam labefactari, uidetur. Nam humano si iure, non etiam diuino, ad munus, quod sibi detulisti, obeundum Episcopi compelluntur; humano iure, non etiam diuino eâ in re tibi parêre debent. Ex quo planè fit, ut tuâ freti facilitate interdum non pareant, sed uel negligant, quod præceperis; uel differant. ut pote qui persuasum habeant, si Dei præcepto non obligantur, nihil se à lenitate tuâ non posse impetrare. Quotus enim quisque est, qui tuo iussu sæpe impulsus, non ad suscepti pecoris custodiam accessum de die in diem distulerit? quàm multi adhuc procrastinant? At uerò, qui Dei mandatum postulant declarari, plus tibi deferunt. Cùm eâ declaratione, qua intellexerint Antistites iure diuino tibi esse parendum, exequendúmque, quod de residendo mandaueris; auctoritas tua magis corroboretur, atque stabiliatur. Quia uerò hæc iuris diuini tam optata declaratio, caput est emendationis, quam tantoperè uniuersus Christianorum orbis expectat, ac potiùs flagitat; quanquàm ad res optimè gerendas incredibilis ille tuus amor, tuáque illa pietas in eum singularis, cuius personam geris, adducit, et quem tui maximi laboris expetis fructum in adipiscendâ gloriâ, quæ sanè in Dei conspectu sempiterna est, atque in summis commodis æternæ uitæ perfruendis collocasti; si clarum tamen inter homines nomen, præsertim cùm ad Patris nostri,

qui

qui in cælo est, laudem honorémque referatur, non profectò uidetur esse spernendum; quàm bona fama, quàm frequenti omnium nationum prædicatione, quàm præclaro omnium testimonio, sanctitatem tuam putas esse celebrandam; si te Pontifice, te duce, te auctore, tuâ curâ, tuâ uigilantiâ, tuâ denique operâ Ecclesiastici mores emendabuntur, menda plebis corrigentur, quicquid tulit abusus, tolletur, in pristinam dignitatem Ecclesiæ status restituetur, omne id quod ab amplissimâ tuâ potestate desciuerat, recipietur, ditio sedis Apostolicæ in omneis Christianorum fines proferetur, pax in toto orbe Christiano consequetur, ad custodiendas, pascendásque Domini nostri IESV CHRISTI *oues incumbetur? Quæ quidem res, quantò plùs habent difficultatis, quantò magis in desperatis recensentur, quantò minùs adhuc confectæ sunt, quantò minùs ad hunc diem etiam affectæ (id enim obijcitur, neque sanctissimorum patrum Concilijs, neque summorum Pontificum consultis hactenus fuisse, quod nos efflagitamus, declaratum) eò plus existimationis, eò plus claritatis, eò maioris præconij splendorem, eò maiorem amplitudinem tibi sunt planè allaturæ. Quænam opum magnitudo, quæ diuitiarum magnificentia, quæ rerum humanarum felicitas, quæ potentia cum eâ gloriâ ac laude conferri potest? Quare,* PATER *sanctissime, tibi potissimùm prospiciendum est, ex cuius consultatione totum hoc negotium*

 pendet;

pendet; ne præclaram tam bene rei Christianæ gerendæ occasionem amittas. quam si amiseris, non modò nihil posthac occurrerit, quo tantum decus, assequare; sed uereor etiam, ne dedecus, quo maiestati Apostolicæ nihil detestabilius uideri debet, suscipias; ac ne quam in eius offensionem, qui te sibi in Vicarij locum constituit, incurras. Hæc eadem offensio, Patres amplissimi, hoc idem dedecus, hoc idem decus uos quoque attingit: decus, si res tam magni momenti, tantique ponderis rectè administrantur: dedecus & offensio, si negliguntur; si postquàm Apostolicum Antistitem, ut par fuit, consulere statuistis, per uos stabit, quò minùs ille, ut decet, prouideat. Quamobrem prospicite, ne quâ malitiosâ nostræ postulationis interpretatione, ignominiosâque calumniâ, quam falsam omnino esse ostendi; quod de residendi iure quæsitum est, diutiùs differatur; ac res tam expetita, tam utilis, tam etiam necessaria ad nostrum munus exequendum, extrahatur. Nihil est enim, quod ea Apostolicæ facultati, ut comminiscuntur, officiat, quò minùs illa possit diœceses, quibus uelit, deferre, diminuere, augere, coniungere, diuidere, nouas condere, ueteres mutare, Pontificium solium transferre, Episcopos eligere, præfecturâ officióque priuare, omnem rem denique Ecclesiasticam, in toto terrarum orbe suo arbitratu administrare. At, si minùs obest, nihil quidem expedit ad amplitudinem domina-

Peroratio. Objicitur

minationis. An non maximè expedit Dei præ- Soluitur.
*ceptum declarari? siquidem, ut scriptum est, di-
uinorum declaratio uerborum illuminat, & intel-
lectum dat paruulis. Illuminat autem hominis* Ps. 118.
*mentem ignorantiæ tenebris oppletam, obscurás-
que & necessarias ueri intelligentias euodat, tan-
quàm scientiæ fundamenta. Quippe cùm Dei ser-
mo pedibus nostris lucerna sit, & lumen semitis
nostris: ac lex Domini immaculata, conuertens
animas: testimonium Domini fidele, sapientiam* Ps. xviii.
*præstans paruulis. Atque tantùm abest, ut nihil
expediat ad maiestatem sedis Apostolicæ tuen-
dam, ut planè demonstratum sit Romani Pontifi-
cis auctoritatem multò magis, si diuino iure a-
stringi obligationem in Ecclesiá residendi, quàm si
humano, declaretur, stabiliri: si contrà, præ-
terquàm quòd nec quo constringitur diuinæ legis
uinculo ullâ ex parte soluitur, nec onere aliquo
leuatur, immò uerò magnum uitæ periculum sibi
conflat: uerendum esse, ne ab ijs, qui se parui fa-
ciunt, magis contemnatur; à cæteris, qui reue-
rentur, & colunt, minùs metuatur. Nec, si di-
uini præcepti declaratio prætermittatur, nobis
proderit, quin eo potiùs, quàm alio nostrûm quis-
que teneatur. Nemo enim est nostrûm, quem
ignorare, quod Deus præcepit, oporteat. quip-
pe quod, etiam si ignoretur; qui nosse id debent,
obstringat. Quare, si uestro studio, uestro con-
silio, uestro denique labore nostræ postulationi,*

 nostris

nostrisque optatis factum fuerit satis; non est dubitandum, quin Apostolicæ potestati, summi Pontificis claritati, Ecclesiæ tranquillitati, morum emendationi, Concilij dignitati, uestræ & saluti & gloriæ cum mirificâ uniuersi Christiani orbis lætitiâ optimè consulatur: sítque, honori Deo: cui profectò uni laus debetur sempiterna. Amen.

ANTO-

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI, EPISCOPI VXENTINI,

De officijs Ecclesiæ præstandis;

TRIDENTINA III.



VDISTIS, *Patres amplissimi, quæ unâ atque alterâ oratione sum complexus, ad planè ostendendum, quo iure Episcopi in suâ quisque Ecclesiâ ad munia sua exequenda residere cogantur; declarari, uti nos postulamus, oportere: atque, si diuino iure ad hoc ipsum eos compelli decernatis, tantùm abesse, ut aliqua Apostolicæ potestatis imminutio consequatur, ut ea potiùs eiusmodi decreto non modò seruanda confirmandáque sit, uerùm etiam amplificanda, atque omnino augenda: at, si diuini præcepti declaratio prætermittatur, uerendum esse, ne multum detrimenti sit acceptura. Ex quo palàm factum est, quàm non modò frigida, atque ieiuna, uerùm etiam detestabilis execrandáque sit ea calumnia, quam nescio quis dicitur adhibuisse ad nostris non solùm honestis, sed optimis quoque necessariis que postulatis resistendum; quasi impudentiæ multum illa, offensionisque*

Exordium cum narratione.

nísque haberent, atque interposita essent ad auctoritatem sedis Apostolicæ minuendam. Audite nunc, obsecro, quæ ad hunc sanctissimum conuentum affero, cùm ex doctissimorum probatissimorúmque auctorum monimentis assumpta, tum ex diuinæ scripturæ thesauro deprompta: ut quæ de lege & naturali, & diuinâ attigimus, absoluamus, ad docendum utroque iure ad sua munera obeunda Episcopos impelli. Spero enim uos ita hæc esse probaturos; ut sine ullâ procrastinatione postulationi nostræ faciendum satis esse censeatis. Illud autem in primis mihi lætandum meritò esse intelligo: quòd apud uos, Patres optimi, sum dicturus: qui hæc omnia, quæ mihi tractanda erunt, ita perspecta habetis, ut, cùm primùm in memoriam redegeritis, & naturæ & Dei præcepto Episcopis in suâ cuique diœcesi residendum esse statuatis. Nam puto uos neutiquàm dubitare eam rem esse, quâ non modò ad, quæ adhuc elucet in Ecclesiâ, retinendam, cumulandámque dignitatem; uerùm etiam ad pristinum splendorem ei reddendum nihil utilius, nihil accommodatius inueniri possit. Itaque primùm mihi dicendum est de iuræ naturæ, quo Antistites urgentur: deindè ostendendum à Domino nostro IESV CHRISTO *& Episcopos esse institutos, & eorum officia constituta: tum uerò eiusdem Domini nostri mandato eos ad considendum in suâ quenque præfecturâ compelli.*

Diuisio ac propositio.

Nam lex naturæ docet, si abfuerit, neque prælucere lucem posse, neque candelabrum illuminare, neque sal

Confirmatio.

ſal condire, neque fidelem ſeruum familiæ curam ſuſtinere, neque rerum domeſticarum adminiſtratorem rectè eas diſpenſare; neque ducem exercitum ducere, neque militem ſtipendium merere, neque nauiculatorem nauigium gubernare, neque agitatorem currum agere, neque cultorem agriculturam adhibere, neque meſſorem manipulos legere, aut meſſem non amittere, neque doctorem populum docere, neque paſtorem oues cuſtodire, neque ſponſum ſponſæ indulgere, neque medicum ægrotantibus mederi, neque magiſtrum diſcipulos literis informare, neque ſpeculatorem eſſe in ſpeculis, & obſernare. Ac ſiqua præterea ſunt uocabula, quibus Epiſcopi ſoleant appellari; ut, quæ ſua ſunt, munia planè perſpiciant; eos, quorum illa ſunt nomina, natura ipſa commonefacit; ut cùm aberint, ſe exequi ſuum munus nequire intelligant. Vos enim, cùm Dominus Deúsque noſter alloquitur, Vos eſtis, *inquit,* Lux Mundi. Vos inſtar urbis, quæ ſupra montem poſita abſcondi non poteſt. Vos & lucerna, quæ non ſub modio, ſed ſupra candelabrum accendi ſolet, ut omnibus qui domi ſunt præluceat. Sic luceat lux ueſtra in hominum conſpectu, qui cùm ueſtra bona dignaque laude conſpiciant opera, patrem ueſtrum, qui eſt in cœlo, gloria prædicationeque efferant. *An plebi hæc lux, hæc lucerna præluxerit, itérque monſtrârit, ne à uiâ directâ aberret? Hæc urbs apparuerit, in quam, ut in uitæ exemplar,*

Mat. v.

plar, oculos ipsa conijciat; si conspiciendam se illi non dederit, si præsentiam eius fugerit, si ab aspectu abhorruerit? Quódnam opus uestrum aspexerit, ut Deum ea laudare possit, si nullum uiderit?
Mat. v. Vos estis, *inquit*, sal terræ. *Vt enim sui, ne putrescat, pro sale anima data dicitur; ita populo Episcopus, ne eius uita deprauetur. an sale, quod uel*
Mat. 24. *euanescat, uel absit, eius mores condiantur? Vos uti fideles prudenteísque seruos familiæ suæ Dominus præfecit, ut ei cibaria tribuatis. uidete, ut beatos uos ille sit dicturus. dixerit autem, rerúmque suarum omnium præfectos constituerit; si ope-*
Mat. 25. *re in illo exequendo deprehenderit. Vobis ille talenta dedit, ut sibi lucri plurimùm faciatis. cauete, ne, cùm acceptæ pecuniæ rationem poposcerit, si in terræ uisceribus conditam reperiat, uos in tenebras*
Mar. 13. *infimas detrudi iubeat. Vos ille foribus ædium suarum ianitores præposuit. uigilate, ad ianuam assistite; ne, cùm uenerit, uos somno uictos uel ostij custodiam neglexisse, uel alijs commisisse compe-*
1. Cor. 4. *riat. Vobis ille administris sua mysteria mandauit, ut ea summâ cum fide dispensetis. an fidelis rerum domesticarum administrator patri familiâs erit, qui*
1. Tim. 1. *eas alteri administrandas reliquerit? Vos eius mi-*
2. Tim. 2. *lites facti estis, & quidem militiæ sacramento obstricti, ut stipendia mereatis. num uestrûm cuiquam stipendium soluitur, ut laborem fugiat, locum in acie deserat, alterum substituat, ut contrahendis negotijs occupationibúsque à religione remotis implicetur?*

plicetur? an qui non certauerit, uel in eburneâ sellâ, uel in aureâ coronatus sederit? Immò uerò duces copiarum suarum uos ille posuit, ut eas quotidiano periculosóque bello, quod cum humani generis hoste iniquissimo geritur, probè atque prudenter ad certandum instruatis. prospicite ne quid detrimenti accipiant, ne sine uestro ductu in fossam aliquam occultam se coniciant, ne in hostiles insidias incidant, ne sub iugum denique mittantur. Vos ille aurigas, uos ille nauarchos constituit, ut uos ipsi suas quadrigas agitetis, suas nauiculas gubernetis. prouidete, ne relictæ illæ præcipites agantur; hæ uel in maris tranquillitate fluctibus obruantur. Vos ille operarios, cùm opere soluti nihil ageretis, certâ quadam mercede ad uineam suam colendam conduxit. Vos ille ad permultam messem misit. An non, ut uestrâ operâ uteretur? ut sibi cultu uestro ager fructus ferret: manibus uestris coram se manipuli portarentur? Vos ille ad Euangelium suum prædicandum legauit? quod præconio uestro, non cuiusquam alterius, publicè esset celebrandum. Vos ab eo clauem scientiæ accepistis. Videte, dum piget introire; ne introire, ac discere cupientes prohibeatis. an non introire negligitis, atque cupientes introire prohibetis, cùm abestis aliud agentes? Vos ille pastores suo gregi compascendo, custodiendóque creauit, ut ouiculas suas uestris humeris feratis, uestris manibus contrectetis. Vestra sane hæc opera est, uestra curatio: cauete, ne eam abijcia-

Mat. 23.
Mat. 20.
Luc. 10.
1. Cor. 12.
Mat. 28.
Mar. 16.
Luc. 11.

abijciatis. abijciatis quidem certè, si alijs mandetis. Vobis ille Ecclesiam suam despondet. num uestrûm erit quisquam, qui sponsæ, quod spoponderit,
Cant. *pendat, dum eius conspectum fugerit. Hæc sponso ubera præbet pretiosissimis unguentis delibuta: quæ*
1. Cor. 12. *illo absente, cum usui non sint, arescunt. Vos ille in morbis animorum medicos adhibuit. quis autē, cùm in difficillimâ ægrotatione medicum sibi lectissimum quæsierit, stipendióque conduxerit, ferat, ut in curando alterius cuiusquam operâ utatur, non suam*
Mar. 2 & 6. *ille ipse ponat. Vos ille populo suo doctores, magistrósque dedit, quem ore uestro doceretis. qui præceptorem delegit, cui liberos traderet erudiendos; si negligentiâ incuriâque illius hos perijsse intelligat; nónne in eum grauissimè animaduertat? quæ'nam maior incuria, negligentiáque erit, quàm quod susceperis negotium, si cuiquam alteri, quisquis ille sit,*
Ps. 44. *mandaueris? Vos ille in Ecclesiâ suâ principes constituit; ut eam utique regeretis. at uerò, qui præfecturam sumit, id compertum habet, eam non sibi deferri, ut non ipse per se, at per alios administret.*
Act. 20. *Vos ille denique speculatores in templo collocauit. an non acerbissimam de eo pœnam Imperator sumpserit, qui speculam, in qua erat constitutus, reliquerit? Etenim si uocabuli ratio in definiendo habenda est, atque uerbi enodatio notatióque ad rem explicandam plurimùm ualet, quid aliud ipso nomine Episcopum esse intelligemus, nisi speculatorem. Quod aliud opus eius, præterquàm speculationem,*
Esa. 26.

in-

inspectionémque euidentem? Qui ἐπισκοπὴν appetit, inquit Paulus, bonum opus appetit. Verùm enim, qui Græcè nesciunt, facilè decipiuntur. existimant enim uerbo, quo Apostolus utitur, Episcopi, dignitatem significari: quemadmodùm Pontificatus idem est, quod Pontificis potestas. At esto, Latinum nomen Episcopi auctoritatem præseferat; Græcum quidem propriè priuatímque munus opúsque denuntiat. Sed num speculatoris est mittere, an ire speculatum? Num Reges Ducésque, ad speculandum qui mittunt, an qui mittuntur, speculatores appellantur? Itaque speculatores Episcopi cùm planè sint, atque constituantur, ut speculatum eant; si miserint alios ad speculandum, ipsi neutiquam ierint; desinant oportuerit esse speculatores. Eadem erit quoque ratio, si cætera uocabula explicaueris, quibus Episcopi nuncupantur. cùm earum rerum sint nomina, quæ cùm aliquo conferuntur, eandémque sub rationem cadunt. Ea porrò sunt huiusmodi, ut si alterum demátur, alterum quoque tollatur, oporteat. Dum quis enim filium habuerit, fuerit pater; contrà, dum patrem, filius: item dum seruum Dominus; contrà, dum Dominum, seruus. Cùm enim qui agit, ita cum actione, à qua nomen habet, conferatur; ut ad illam tota sit eius ratio referenda; consequitur, ut quemadmodùm tantisper id est, quod esse dicitur; qui agit, dum in agendo uersatur: ita hoc esse desinat, cùm ab actione destiterit. Quamobrem, cùm Doctor à docendo, Pastor à pa-

à pascendo, Speculator à speculando dicatur: consequens est, ut si docere, pascere, speculari, si cætera munia, si qua sunt, à quibus nomen Episcopus ducat, exequi desierit; id esse quoque desinat, quo antehac appellabatur. Quandoquidem non habitus, animi, ut est uirtutis, aut artis perceptio alicuius, aut quæuis scientia, quo his muneribus habiles, aptique sint, atque cùm uelint, efficere hæc possint, in ijs requiritur: sed exercitatio potiùs, atque usus, quo in ijsdem rebus uersentur, ut indè meritò nomé adipiscantur. Agè uerò Sacerdoti decumæ quam obrem adiectæ sunt? cur agri uectigales assignati? cur bona permulta legata? an non operis causâ? At cui pro labore uectigal penditur, is alias res agens, si Vicarium in negotio suscepto, uel se præstantiorem aptioremque ad id perficiendum supposuerit; nónne naturæ ius, tanquàm ualde sit offensum, reclamârit, eúmque illo nomine damnandum esse censuerit? Quia uerò planissimè puto me demonstrasse non esse dubitandum, quin lege in animis inscriptâ Episcopi præsentia necessaria sit ad, quæ officia sua fuerint, omnia Ecclesiæ suæ præstanda: nunc, ut apertissimè doceam hoc idem à Deo uerbis amplissimis, plurimúmque habentibus efficacitatis, & institutum esse, & præceptum, dilucidissimè ostendam, quod ne ipsi quidem aduersarij nostræ opinionis inficiari possunt, Episcoporum ordinem à Domino nostro IESV CHRISTO *fuisse constitutum. Nisi enim de hoc institutio præceptióque diuina esset,*

ſet, Paulus ille à Domino Deóque noſtro ad oracula Act. 20.
ſua edenda electus, id non dixiſſet: Attendite uobis, & uniuerſo gregi, in quo uos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, ut regatis Eccleſiam Dei; quam acquiſiuit ſanguine ſuo. *Nec illud*, & quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos. *Omnes autem cùm* 1. Cor. 12.
Apoſtolos dixit, Epiſcopos eum quoque intellexiſſe fatentur. Nam Apoſtolos eoſdem atque Epiſcopos compertum habent extitiſſe. Nec ipſe Dominus IESVS CHRISTVS *ire per omneis terrarum fines iuſſiſſet Apoſtolos ad Euangelium uniuerſo hominum generi prædicandum, ad ſalutem ei dandam, ad Regnum Dei procurandum, ad Eccleſiam adminiſtrandam; niſi Epiſcopos eos inſtituiſſet. Neque eos ita inſtituit, ut hoc idem munus, quod eis deferebat, in illis ipſis finem haberet: ſed, ut perpetuò in Eccleſiâ ijs, qui erant ſucceſſuri, aſſignandum permaneret. Qui eidem officio præponebantur à Paulo atque etiam à Petro, Epiſcopi dicti ſunt. Nam Petrus et ipſum Dominum Paſtorem atque Epiſcopum* 1. P. 3.
animarum noſtrarum appellat; & in ius officiúm- Act. 1.
que Epiſcopi, quòd pecuniâ corruptus, præuaricatúſque Iudas per ſummum dedecus amiſerat, ut multò antè prædixerat uates, alterum dixit eſſe ſubrogandum; qui poſteà fuit Matthias; ut planè intel- Pſ. 108.
ligatis duodecim, quos ex multis diſcipulis Chriſtus Dominus elegit, Apoſtolóſque uocauit, & Apoſto- Luc. 5.
los & Epiſcopos ab eo fuiſſe inſtitutos. Quemadmo

dùm enim ſine oculis non poteſt extare munus oculorum: ita nec ſine Epiſcopis officium Epiſcoporum. qui, tametſi non planè in omnem facultatem poteſtatémque Apoſtolis ſucceſſerunt, in hoc quidem certè munus ſuffecti uidentur. Nec dubium eſt, quin Eccleſiam Deus perpetuandá conſtituerit, atque in perpetuũ præclarâ diſciplinâ, optimiſque inſtitutis gubernandam. ph. 4. *Nam ipſe, ut ait Paulus,* Dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios uerò Euangeliſtas, alios autẽ Paſtores & Doctores ad conſumationem ſanctorũ in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti; donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei. *Itaque aſſerendum eſt à Deo ipſo, tanquàm ad coagmentationem ædificationémque corporis Chriſtiani, neceſſarios Epiſcopos fuiſſe inſtitutos, ut eſſent cum Eccleſiâ perpetuò duraturi: qui præterquàm quòd Paſtores & Doctores propriè priuatímque; appellantur, cætera quoque ut munera nacti ſunt; ſic & eorum nomina adepti.* Tim. & 2. *Nam Timotheum ille idem Paulus admonuit, ut bene, quod à Deo munus acceperat, exequeretur; & Euangelici præconis opus efficeret; ac, ne donum, quod ex diuinâ prædictione ceperat, negligeret: eundémque Dei miniſtrum in Euangelio Chriſti appellat, atque idem opus Domini agere affirmat, quod & ipſe agebat. Ipſe autem ad Regnum Domini conſtituendum legatione fungebatur. ac ſeſe Euangelij prædicatorem, & Apoſto-*

Tim. 1.
Theſſ. 3.
Cor. 16.
. 6.

poſtolum, & Doctorem gentium, & Prophetam uocat. An Moſaico Sacerdotio Euangelicum minùs præſtans, minúsque neceſſarium eſt? Illud, quod Pontificem Sacerdotésque cõprehendebat, ut cum lege, donec ei locus fuiſſet, permaneret, conſtitutum accepimus: hoc, in quo Sacerdotibus Epiſcopi præferantur, non putas inſtitutum, ut ad finem uſque uniuerſitatis ſit permanſurum? At Paulus, Hebr. 7. *quem auctorem ſæpe appello, teſtatur, cùm lex illa ad Euangelium deducta eſſet, Sacerdotium quoque illud ad hoc eſſe translatum. Nec mirandum eſt in illo unum Pontificem fuiſſe, in hoc multos exiſtere: quamuis unus uniuerſæ Rei Chriſtianæ præſideat. Cùm enim illâ ſub lege unus ætatem degeret populus, unáque eſſet ſynagoga conſtituta; uno erat præſide contenta. Res publica autem Chriſtiana, quæ uniuerſum terrarum orbem complectitur, etſi unum habet, qui uniuerſitatem rerum adminiſtret, cùm tamen in Eccleſias multas ſit diſtributa, plures ſanè præfectos, qui, in ſuâ quiſque præfecturâ, conſideant, requirit. Iam uerò, cùm dubium nobis non ſit, Chriſti fuiſſe hæc uerba,* Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. *Illa autem Pauli,* Fundamentum nemo poteſt aliud ponere, quàm quod poſitum eſt, qui eſt CHRISTVS IESVS. *ab eodem illo Chriſto Eccleſiam longè præclariùs fundatam, & conſtitutam fuiſſe, quàm à quouis alio principe quanlibet aliam Remp. tenendum eſt. Sed quis Remp. un-*

quàm fundauit, quam non ita legibus institutísque ornârit, & magistratus constituerit, qui ijs legibus, ijsque institutis eam administrarent? Neque enim satis erat, docuisse illum, fidem esse rerum sperandarum, ad quas omne consilium nostrum, omne studium, omnem laborem, omnem operam, omnem denique diligentiam conferre debemus; & praecepta, quae eò nos ducant, tradidisse; nisi praesides etiam dedisset, qui seruanda, quae ipse praecepisset, cùm enixè curarent, coetum Christianum probè gubernarent. At ij quidem sunt, quos Episcopos appellamus, quos Augustinus ille Christianae ueritatis clarissimum lumen pro Apostolis patribus filios natos, datósque nobis ait fuisse, diuinum illud oraculum secutus. Pro patribus tuis nati tibi sunt filii. constitues eos Principes super omnem terram. *Deus enim Ecclesiam sponsam suam alloquitur. Quod Anacletus quoque Pontifex Maximus Petríque discipulus testatus est, cùm literis tradidisset, Apostolis Episcopos successisse; eorúmque electionem, quanquam sibi ipse Dominus reseruârat, bonis tamen Sacerdotibus, populísque diuinâ charitate affectis concessisse. Audite etiam Pij sanctissimi uniuersae Ecclesiae praesidis testimonium.* Episcopi à Deo sunt iudicandi, qui eos sibi oculos elegit, *Quid? cùm dubitet nemo Christum Dominum Ecclesiae mysteria dedisse: qui illa instituit, nónne qui ea ministrarent, instituisse oportebat? Cùm autem uni omnium Sacerdotum Episcopi, quae Chrisma-*

Aug.

Ps. 44.

Anacl.

Pius.

Chriſmata Græco uocabulo appellamus, conficiant; ac diuino ſpiritu afflando, qui ſanctiſſimâ lauatione abluti ſunt, uni ipſi certis quibuſdam cæremoniјs confirment, uni Dei miniſtros initient, quis non ab eodem illo auctore conſtitutos fuiſſe affirmarit? Iámque Epiſcopia dignitas in iјs profectò donis recenſetur, quibus ſponſam ſuam Eccleſiam IESVS CHRISTVS *dotis nomine locupletauit, ut fermè omnes aſſerunt, qui uerba illa Pauli exponunt.* Diuiſiones gratiarum ſunt; idem autem ſpiritus: & diuiſiones adminiſtrationum ſunt; idem autem Dominus. Et diuiſiones operum ſunt; idem autem Deus, qui omnia in omnibus operatur, *Idque planiùs perſpicias; ſi animaduertas, & quod ad Timotheum ille idem ſcripſit; cùm eum admoneret, ne cæleſte donum negligeret, quod ipſe haberet, quod ſibi datum eſſet ex diuinâ prædictione, quam Græcè* προφητείαν *uocat, presbyterij manibus porrectis, quod Græcè dicitur* μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου*: et quod ad Epheſios,* Vnicuique, *inquit*, noſtrûm data eſt gratia ſecundum menſuram donationis CHRISTI. Propter quod dicit aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. *Quæ ſint illa dona cùm exponeret*, Ipſe, *inquit*, dedit quoſdam Apoſtolos: quoſdam autem Prophetas: alios uerò Euangeliſtas: alios autem Paſtores & Doctores. *Ac ſi Pontificiâ dignitate eâdem, quâ ſummus Anti-*

1. Cor. xi.

1. Tim. 4.

Eph. 4.

stes, cæteri Antistites ornantur: quáquam ille aucto ritate ac potestate & ditione cæteris omnibus præstat, ut maximus Ecclesiæ præses, unicúsque uniuersæ Rei Christianæ administrator: cùm illi ea Christo auctore delata sit: his etiam eodem auctore delatam esse concludendum est. Nam Episcopus ille, ut uerè est, sic item appellatur. Idque facilè intellexerit, qui Episcopi initiandi ritum notauerit: quem in Pontifice Romano consecrando non alium, atque in quocunque alio deprehenderit. Atque cùm ille creatur, creatur autem iampridem ab amplissimo, ut nunc uocant, Cardinalium collegio, sicuti quondam etiam à Populo Romano; summum illud Sacerdotium si tum non instituitur, sed ei defertur: cùm ipse Maximus Pontifex Episcopum aliquem creat, non eius dignitatem instituere, sed eam à Deo institutam tum illi tribuere, ut Dei administer summam habens potestatem, dicendus est.

Obijcitur. *Atqui, inquies, cùm ipse Pontifex Romanus & legat Episcopos, & instituat; non est profectò, quod ad diuinam institutionem referatur. quippe ipse, ut Ecclesiasticas præfecturas, ita etiam magistratus distribuit.*

Refutatur. *Quid me cogis hæc longiùs repetere? neque enim dubitamus Romanum Pontificem uniuersæ Ecclesiæ à* CHRISTO *Domino præfectum esse, ut non modò diuina oracula testificantur, sed prisca illa etiam Concilia in Oriente celebrata, ipsique Græci, qui nostris inuidere solent, fatentur; datámque illi potestatem suo arbitratu Reip. Christianæ gubernandæ, iurísque*

que condendi; ac mysteria, quæ ipse instituerat, ut suo iudicio dispensaret; & quæ Ecclesiæ suæ donauerat, ut, cui uellet, tribueret, commendata. Itaque hac ille auctoritate, hac potestate, hac ui summa Ecclesiæ mysteria dispensat, munera tribuit, diuina mandata exequitur, ius dicit, nouum etiam constituit, quo multorum dierum celebritates religiosæ, multi ritus sacrorum, multa præcepta Ecclesiasticè uiuendi continentur. Sunt quæ, si in genere uniuerso spectentur, ad Dei pertineant institutum: sin in singulis, Pontificij iuris esse omnino repe riantur. Nam ieiunum esse, septimum quenque diem purò Dei cultu, sanctâque religione celebrare, Sacerdoti peccata confiteri, multa præterea id genus, in diuinis percenseri præceptis fateare necesse est. sed hunc in modum, hac ratione, hoc tempore, hoc die, id esse quidem exequendum, Pontificis Maximi planè fuit semper, eritque præcipere. Item sacris initiare, in Sacerdotium eligere, Episcopum creare; caue dubites ex diuinâ esse institutione: sed cui, quo tempore, quo loco id deferendum sit, Pontificis Romani esse prospicere, confitendum est. Quo circà, cùm & Episcoporum electio, & Ecclesiarum distributio Deo tribuenda sit, tanquàm ab eo in stituta; & si hos uel illos Episcopos creare, has uel illas Ecclesias tribuere, ad Pontificem Maximum spectat: nunquàm tamen hoc ille munus exequetur, quin ex diuino instituto efficiat. Satis enim Deo fuit Apostolos instituisse, Matthiam forte prætulisse;

Paulum Barnabámque nominasse: cæteros, qui successuri erant, ex suâ institutione Vicario creandos Episcopos reliquisse. An, cùm ipse hos nominarit, illum prætulerit, Apostolos instituerit, uelles quotidie hoc idem ab eo præstari, ut uerè Episcoporum electionem diuino fieri instituto tibi esset affirmandum? præstaret quidem certè hoc ille, si expedire perspexisset. At uerò, cùm Dominus in terris non tempore æterno sibi permanendum esse statuisset, sed ascensurus esset ad patrem, & quidem illò, unde descendisset, ut sanctum mitteret spiritum; qui, quemadmodum ille aspectabili suâ præsentiâ, præsentíque sermone, ac tractabilem in modum Ecclesiam, dum inter homines uitam ageret, gubernârat; sic numine cælesti interiùs mente humanâ excitandâ eidem assideret: par sanè fuit, ut quæ ipse mysteria instituisset, quaéque munera præbuisset, administris suo nomine dispensanda atque assignanda, antequàm à mortalium conspectu abscederet, delegaret; morémque ijs in rebus tenendum ostenderet; quem iam indè à temporibus Apostolorum ad hæc nostra, Ecclesia seruauit. Nempe exteriore quadam cæremoniâ manibúsque porrectis Timotheum ac Titum à Paulò in ordinem summorum Sacerdotum cooptatos esse, ut nunc fit, compertum habemus. At, inquies, si asseris, ut hunc in modum, hac ratione, hoc tempore, hoc die, Christianos eße ieiunos iubere, dierum celebritates seruare, se iudicio Sacerdotis subijcere: ita, quis Episcopus sit creandus, hæc, illa

illa Eccleſia cui ſit deferenda, proſpicere, ad Pontificem Romanum attinere; quid eſt, quòd, non quem admodùm illa, hæc item iure Pontificio, non diuino comprehendi fateris? Quid certè aliud, niſi quòd omnino earum rerum eadem ratio non eſt; neque illa, ut hæc, Dei mandato Eccleſia conſtituit? Cōſtat enim Domini præcepto ad paſcendum eius gregem Reip. Chriſtianæ præſidem ita compelli, ut ne qua in parte deſit, qui oues Epiſcopum in morem cuſtodiat, atque paſcat, pro ut ille ipſe Deus inſtituit, prouidere cogatur. De abſtinentiâ, de corpore caſtigando, de celebritate atque religione dierum, de confeſſione peccatorum, non liquet mandatum eſſe, quo ille idem Pontifex ſtatuere debeat, certis quibuſdam temporibus, qui Chriſtum colunt, ieiunos eſſe oportere; ſtatos quosdam dies religioſos celebrésque ad diuorum memoriam colendam habere; ſtatuto quodam tempore de peccatis Sacerdotis iudicium ſubire: & ſi planè perſpectum habemus Deum non nunquàm cibi ieiunitatem, corporísque caſtigationem indixiſſe; ſeptimum quenque diem religioſè celebrari iuſſiſſe; quem Eccleſia eum eſſe declarauit, atque conſtituit, quo Dominus Deus noſter ſe ipſum è ſepulchro excitauit, atque ſurrexit; qui abſolui ſcelerum culpâ expetunt, iis erratorum confeſſionem præcepiſſe, ut cum opus fuerit, nempe cùm mortis periculum impenderit, Sacerdotis iudicium de iis ſit utique ſubeundum. Quamobrem, ut undè digreſſa eſt, eò ſe referat oratio; cùm Pontifex Maximus

Quæritur.

Reſpondetur.

mus ex præscripto Domini nostri IESV CHRISTI *Episcopos eligat, absurdum profectò est asserere electionem illam non teneri iure diuino. Nam*
1. Tim. 4. *Paulus, quos ipse initiauit, non à se, uerùm à numine diuino Dei donum accepisse testatur. An*
2. Tim. 1. *primarius Regis administrator cum Regio mandato eligit, quibus Regni tribuat præfecturas, iure Regio præfecti illi fidem obstringunt: Episcopi non item iure diuino, cùm ex Dei constitutione à Romano Pontifice creantur? Nisi putas, qui Regi iureiurando obstringuntur, cùm ab eo deficiunt, maiestatis imminutæ reos haberi; Deo, qui sacramento obligantur, non eâ religione constringi, qua & uitâ, & hæreditatis æternæ bonis, ad quam uocabantur, sint exuendi; si quando ab eo desciuerint, hoc est non præstauerint, quæ promiserunt. An non tenes memoriâ, quæ qui te consecrauit, postulauerit? quæ te toto pectore uelle responderis? Vis (ille rogabat) ea, quæ ex diuinis scripturis intelligis, plebem, cui iam initiandus es, & uerbis docere & exemplis? Volo, inquiebas. Cuínam tum sponsionem faciebas? cui te obligabas? nónne Deo, more sponsi? Eodem quippe uerbo respondebas, quo & sponsus, cùm rogatur, an uelit suam coniugem esse, quæ sibi datur. nam & tu quoque sponsus Ecclesiæ tuæ. Quod ut magnum esse putes mysterium, te*
Eph. 5. *Paulus commonefecit. Dominus enim noster* IESVS CHRISTVS, *eiúsque, postquam ille in cælum ascendit, Vicarius, uniuersæ quidem sponsus*

Eccle-

Eccleſiæ eſt: tu uerò tuæ, ut Chriſti etiam eâ quidem in parte Vicarius; cui meminiſſe potes te conſecratum eſſe. Quo autem præcepto hæc ille interrogabat? nónne eo, quo Timotheo Paulus dedit? Apoſtolorum uerò præcepta quis eſſe diuina unquàm dubitauit? quippe qui eâ ualerent auctoritate, eâ uirtute pollerent, eo ſpiritu permouerentur, ut quæ ipſi uel aſſererent, uel præciperent, niſi quæ illi ipſi diſertè exciperent, Dei planè eſſent oracula, iuſque diuinum conſtituerent. Age uerò Eccleſiæ myſteria quo iure adminiſtrantur? Qui abluit ad renouandum, qui abſoluit; Sacerdos proximè quidem, ut iſtius opinionis Anteſignani loqui ſolent, tum abluere, tum abſoluere dicitur: ſed Domini Deíque noſtri mandato ac nomine hunc abluit, illum abſoluit: qui Epiſcopum cooptauerit, tametſi proximè elegerit, non eodem iure inſtituerit? Quæ enim Dominus Deus noſter myſteria conſtituit, ſuo, non alio nomine diſpenſanda mandauit. Quamobrem ille idem Paulus, quem ſæpe appello, Corinthios reprehendit, quòd, Alius ego quidem, *inquiebat,* ſum Pauli, alius autem ego Apollinis. quid, *inquit*, eſt Apollo? quid Paulus? miniſtri eius cui credidiſtis: & quidem ſicut cuique Dominus dedit. Ego ſeui, Apollo rigauit: at Deus incrementum dedit. itaque neque qui ſerit eſt aliquid, neque qui rigat: ſed, qui incrementum dat, Deus. *Quid ueteris teſtamenti Sacerdotium? nónne iure diuino tenebatur? Cùm enim*

1. Cor. 3.

nim Deus Mosen affatur, Applica, *inquit,* ad te Aaronem & filios eius, ut mihi Sacerdotio fungantur. *Nú, quia Dei minister ad se illos appelleret, non diuino iussu appulsos fuisse arbitraris? An oblitus es tu quidem, quæ summus Sacerdos, cùm te consecraret, asserebat, quæ optabat, quæ præcabatur? Nónne inquiebat?* Iccircò huic famulo tuo, quem ad summi Sacerdotis ministerium elegisti, hanc quæsumus gratiam largiaris. *et paulò post,* sit fidelis seruus & prudens, quem constituas tu Domine super familiam tuam, ut det illi cibum in tempore oportuno: & exibeat omnem hominem perfectum. *A Deo te Ecclesia in Episcopium Sacerdotium esse electum affirmat, suæ que administratorem familiæ constitutum: tu id negare neutiquàm*

Obijcitur. *uereris? At proximè inquis, Pontifice Maximo electore agnosco hoc mihi obtigisse. Quid acta agis. an non* IESV CHRISTI *& auctoritate &*

Refutatur. *institutione? an non & ut eius administer potestatem quidem ille habens te elegit?* Sic nos, *inquit,*

1. Cor. 4. *Paulus,* Existimet homo, ut ministros CHRISTI, & administratores mysteriorum Dei. *Iam uerò cùm is idem Summus Pontifex, quem sæpissimè appellamus, non semel deleget, qui Episcopum aliquem sit creaturus; qui fuerit creatus, nónne ab illo ipso potiùs, qui delegarit, quàm ab eo, cui munus delegatum sit, se in Episcoporum numerum esse adscitum existimauerit? Eadem quoque ratione,*

quem

quem Chriſti Vicarius ex eius instituto Epiſcopum cooptauit, te ab eo, cuius ille uim & numen tenet, in iſto ampliſſimæ dignitatis gradu locatum eſſe per ſuaſum habeas, oportet. Quod etiam eo ſanè argumē to tibi probari poteſt. Quisquis enim amplitudinis poteſtatem habet tribuendæ, cùm eam poſſit item adimere; qui Chriſti uicem tenet, ſi ipſe Epiſcopum crearet, poſſet etiam illi Pontificium decus auferre. At, ſicut poteſt decernere, ut ille iuriſdictione magi ſtratúque ſe abdicet; non ita, et qua dignitate, ueluti quadam honeſtatis notâ interiùs adeò inſculptâ & inſignitâ, ut deleri nequeat, ſpiritu cœleſti imprimente, affectus eſt. Nam quem Pontifex Maximus Epiſcopum officio priuârit, cùm ei poſthac uel eandem, uel quamuis aliam Eccleſiam tribuerit, quod non ſemel uſu uenit, non opus erit iterum creari Epiſcopum, Deóque conſecrari: ut pote qui dignitatis ſuæ nihil amiſerat: ac ne poteſtatem quidem diuinitùs datam; quæ adeò cum dignitate coniuncta eſt, ut ab eâ ſeiungi non poſſit; quanuis ſibi deſit ſubiecta materia, quam tractet, & in qua uerſetur. At quanquàm, inquis, ſi res in genere uniuerſo cernitur, ius diuinum attingit: quia tamen ſi in ſingulis attenditur, humano eam agi concedis arbitratu; id ſatis eſt, ut Epiſcoporum electio ex Pontificiâ fiat conſtitutione. Quod ſanè, ut aſſentiaris, id confirmauerit, quod, ut ore Prophetæ Deus queritur, multos non ſuo iuſſu regnare, & ſi ut ampliſſima quæque poteſtas à Deo, ſic etiam Regia pro Obijcitur.

fecta

Hier. 23. *secta est; ita & Hieremiæ uerbis fert permolestè à pastoribus discerpi pecus suum, atque dilacerari. quippe qui non per ostium intrauerant, sed alio aditu, ut fures, & latrones. Hos quidem certè non Dei numine, sed humanâ & ratione & uoluntate*

Refutatur. *creatos esse confitendum est. Caue, quos Pontifex Romanus eligit, non ostio, sed alio aditu, ut fures & latrones, ingressos arbitrere. Quamuis decipi ille possit, cùm homo sit: ô tamen infelices, à quibus decipitur. Verùm enim tibi perspectum hoc certè esse debet, iuris usum, quod ius est, haud quaquàm omnino id esse. Ius enim in præceptione consistit: usus autem in tractatione, atque exercitatione uersatur. Ac ius, de quo loquimur, à Deo quidem institutum est: eius autem usus iudicio arbitrióque summi administri relictus est. Quamobrem, cùm illo iure bene is utitur in Episcopo eligendo, esse non potest, quin Episcopus à Deo ipso eligatur; &, quod consequitur, diuinâ lege teneatur. An non legisti unquàm,*

Leo Papa. *quæ de se in Pontificatum electo Leo ille, qui uel ab uniuerso Oriente beatissimus nuncupatur, cùm uerba faceret, dixit?* Dignatio, *inquit*, cœlestis gratiæ gignit Antistitem. *Et*

Ambrosius. *quæ diuinus ille Ambrosius, quē Theodosius Imperator summâ ueneratione prosequebatur, cæterísque maximis Sacerdotibus præferebat; cùm in eos inueheretur, qui sacra initiáque uendebant?* Quis, *inquit*, dat gratiam pontificialem? Deus ne, an homo? sine dubio Deus. sed tamen per homi-

hominem dat Deus, homo imponit manus: Deus gratiam largitur. Epiſcopus initiat: Deus tribuit dignitatem. ſi homo, *inquit*, in ordine nihil amplius agit, quàm miniſterium, quod ei creditur; cur Deo totum negatur, qui te in ordinem ipſum cooptat? *Quapropter quicquid dignitatis, cùm Summus Pontifex eligit, defert; id omne Dei nomine iuréque diuino deferri dicendum eſt; & quod præcipit, diuinum præceptum eſſe. Ac uide, ne in animũ inducas, quibus uerbis, qui conſecrabat, te, qui conſecrabaris, alloquebatur*, Accipe Euangelium, & prædica Populo tibi commiſſo, *non Dei, ſed eius eſſe Vicarij: ut, ſi ille curam non adhibuerit, ut rectè munus obeas tuum; ei, non tibi ipſi planè ſit aſcribendum. Neque enim hæc minùs Dei nomine, pronuntiantur, quàm illa*; Accipe baculum paſtoralis officii, & accipe annulum. *Nam orauerat Deum, qui hæc pronuntiabat, his precibus*, Suſtentator imbecillitatis humanæ Deus, benedic baculum iſtum. *et* Domine emitte benedictionem ſuper hunc annulum. *Itaque tanquam iuſſerit Deus, eius nomine*, accipe, *inquit*, baculum, & accipe annulum. *et* accipe Euangelium. *Vt baculo, te intelligeres à Domino ſuarũ ouium effectum eſſe paſtorem: annulo, Eccleſiæ ſuæ ſponſæ cuſtodem; Euangeliorum libro, ſuæ plebis doctorem. Nam conſecrantis ea uerba ſunt, ut miniſtri, ut in Dei loco poſiti, ut pronunciantis: Dei uerò ut*

Ex Pontificiali.

rò ut instituentis, ut iubentis, ut auctoris. Quemadmodùm, quæ uates effatur, oracula Dei sunt, ut mentem linguámque humanam permouentis: uatis, ut ad proferendum incitati. Atque hæc quidem nunquàm tibi secùs esse uideantur, si relegas, quibus usus est precationibus, qui te consecrauit, cùm caput mitrâ honestaret, manúsque integumento indueret; si memoriâ repetas, cùm Deo pro te ille offerre, dixisse, Pro famulo tuo, quem ad Episcoporum ordinem promouere dignatus es. *Te uerò, qui cõsecrabaris, cùm pro te ipso offerres,* Pro me famulo tuo, quem ad Episcoporum ordinem promouere dignatus es. *& quidem rectè. Nemo enim sibi sumit honorem: sed qui uocatur à Deo, quemadmodùm Aaron: ut à Paulo discere potuisti. Tu, qui tum professus planè es, te à Deo, non à Romano Pontifice in Pontificum cœtum esse cooptatum, quanquam utrique id omne debes, illi ut auctori, huic ut Vicario munus Episcopium eius nomine deferenti, qui suo arbitratu aliũ, non te designare potuisset; nunc ab hoc, non ab illo ais Episcopum te creatum esse; huic fidem, non illi obstrinxisse; pontificio iure, non diuino teneri: te in administratione susceptâ non residere, huic, non tibi uitio dandum esse; incuriam tuam, uoluptates tuas, delicias tuas huic, non tibi in crimine ponendas: quòd tibi nimiùm indulserit, culpam hunc præstaturum esse, pœnamque etiam soluturum. quòd eius indulgentiâ licere tibi existimas, ubi libet potiùs*

Hebr. v.

potiùs

tius quàm in tuâ diœcesi commorari; huius licentiæ animaduersionem nullam in te futuram: quasi uerò, si diuinâ te lege solutum opineris; ista opinatio, quo minùs Dei iudicium subeas, tibi sit profutura. Quid? cùm ad se Deus iussisset Mosen de Israelitis ætate prouectis quadraginta conuocare, atque dixisset, se de spiritu eius ablaturum esse, illísque traditurum, ut cum eo onus populi regendi sustinerent, ne is unus grauaretur: nonne, cùm Moses eis hoc munus detulit, illi à Deo uerè sibi delatum esse in animum induxerunt? Quòd autem Auferam, *inquit*, de spiritu tuo, *non est profectò, ut id accipias, quasi quod principi Israelitanorum dederat, Deus esset imminuturus: sed uim eandem cœlestem, qua illum donauerat, eius quoque adiutoribus, sociisque esse impertiturum. Ita, cùm Pontifex Romanus ex diuinâ institutione in partem operis atque laboris Episcopos uocat; quo dono illum affecit Deus, hoc item his impertire existimetur, necesse est. Iam uerò, cùm ille idem Moses Deum orasset, ut in locum suum idoneum ducem tantæ multitudinis constitueret, ab eo responsum his uerbis accepit.* Tolle Iesum filium Nuni, uirum, in quo est spiritus Dei. & pone manum tuam super eum: qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine: & dabis ei præcepta cunctis uidentibus, & partem gloriæ tuæ. *Nempe ut esset Israelitanorum Imperator, non summo Sacerdotio fungeretur. Audi, quæ pars illa gloriæ fuerit: uir ille, in* Num. 27.

Deut. ultimo. *quo erat spiritus Dei*, Impletus est, *inquit*, spiritu sapientiæ, *cùm ei manus Moses porrexisset. At quamuis Deus iusserit Mosen ei dare partem gloriæ suæ, quippe spiritum sapientiæ: non tamen Moses, sed Deus dedit. Quod autem Deus præbet, id* Hierony. in Ep. ad Gal. *Pontifici tribuit, ad ostendendam dignitatem ac potestatem consecrantis administrantisque Sacerdotis. Huius loci testificatione usus est diuus Hieronymus, ut Apostolos alios fuisse per se ipsum à Deo constitutos, alios per hominem declararet. Nam, ut Mosen Deus per se ipsum & Imperatorem & Pontificem Israelitanorum: ita* CHRISTVS *Dominus duodecim ex discipulis, & Paulum per se ipsum Apostolos instituit. Atque ut ille per Mosen Aaronem summum Sacerdotem Israelitanorum, Nuni filium Imperatorem constituit: ita hic per hominem, qui Pontifex sit, Episcopos creat. Accipe & testimonium diui Augustini:* Nec illa ipsa cleri electione, nec plebis assensu: sed sola Pontificiali cooptatione et consecratione quisquam fit Sacerdos aut Pontifex: cui non homo, sed Deus ipse Sacerdotalem Pontificialem'que auctoritatem, et uerò diuinam tribuit. *Id*-

Aug. cùm sibi Gradium successorẽ elegisset.

Heb. 6. *que Pauli auctoritate asseritur, & dicentis neminem sibi honorem sumere, nisi qui uocatur à Deo, tanquàm Aaron; et iubentis Episcopos Asianos incumbere ad pascendum gregem, in quo custodiendo Spiritus sanctus eos posuerat, ut Ecclesiam Dei regerent. Quod sine dubio perspectum habere debes, si*

Act. 20.

unquàm

unquàm bene tibi precantis Episcopi obsecrationem obseruasti: Propitiare Domine supplicationibus nostris: & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eum infunde uirtutem, & da ei claues regni cœlorum, ut utatur, non ut glorietur potestate, quam tribuis in ædificationem, non in destructionem. Et tribuas ei Domine cathedram Episcopiam ad Regendam Ecclesiam tuam, & plebem sibi commissam. *An id genus precationes Ecclesia unquàm instituisset, institutásue probasset, nisi Episcopos à Deo creari credidisset? Quisquis es, qui secùs sentis, secùs prædicas, secùs scribis; uide, quantoperè fallaris, quantáque in errore uerseris. Quónam Pontifice Maximo auctore, quando ab Ecclesiâ hoc institutum, qui ius Ecclesiasticum esse contendis, ostenderis? neminem poteris proferre, ne ipsum quidem Petrum, cuius auctoritate id primùm fuerit constitutum: cùm Petrus ipse, cæterique Apostoli, atque illorum discipuli ad* CHRISTVM *Dominum omnia referant; Ecclesia, cùm eâ de re aut præcipit, aut uerba facit, ad ueteres Patres: non sanè secùs, ac si Apostoli à Domino nostro* IESV CHRISTO *hoc ipsum acceperint; ab Apostolis, qui successerunt, quod porrò eiusmodi est, nemo unquàm non esse diuinum duxit. Qui uerò eâ de re primi aliquid uidentur præcepisse, fuere Paulus ac Petrus, cùm ad Timotheum ille scriberet, cùm ad Titum: Epis-*

Ex Pontificali.

1. Tim. 3. tit. 1.

scopum enim descripsit, admonuitque, qualem esse oporteat, quantaque diligentia in eo creando sit adhibenda:
1. Tim. 5. Nemini, inquit, cito manus imposueris. *Hoc praeceptum secuta Ecclesia instituit, quod, cum esses consecrandus, meminisse potes,*
Ex Pontif. *principio dictum esse:* Antiqua sanctorum Patrum institutio docet, & praecipit. *Hic uerò, cum pastores hortaretur ad Dei gregem pascendum, doceretque rem susceptam, quem in modum gerere deberent. At uerò, quae ipsi scribebant, Deus dictabat; ne putes eorum dicta, iussa, documenta in ius aliud à diuino conferri: nam Paulus, cum ipse loquitur, non Dominus, nos planissimè commonefacit; ut caetera omnia, quae ipse uel memoriter tradidit, uel literis mandauit, Dei fuisse oracula arbitreris. Hos autem architectos, atque illos, qui Euangelium scripserunt, adhibuit Ecclesia ad aedificandum Sacerdotium, atque ad constituenda, quae Episcopis praecepit. Eorum elogia sunt iuris Ecclesiastici, quod iactas, quo obstringi te fateris, firmissima fundamenta. Tolle constitutae Reipublicae solum atque sedem: corruat eius aedificium oportet. Adime Episcopis ius diuinum, quod eo fundatum stabilitumque est: Ecclesiasticum adimas necesse erit. His quidem scriptoribus, sed Domini Dei nostri & uerbis & exemplo, Euaristus, Damasus, Nicolaus, caeteri beatissimi atque sapientissimi Ecclesiae praesides, Episcopo in sua dioecesi residendum esse docuerunt.*

Quoniam latissimè exposui summum Sacerdo-

tium

tium à Deo fuisse institutum, atque ex diuinâ insti-
tutione summos Sacerdotes creari: nunc planissimè
ostendam eorum quoque officia fuisse à Deo constitu-
ta. Neque enim ille Episcopos instituisset, nisi mu-
nus, quod essent suscepturi, constituisset. quippe cùm
haudquaquam Antistitis causâ Ecclesia constituta
sit: sed contrà, ille propter Ecclesiæ administratio-
nem sit institutus. Nec uerò eadem ratio inita est
de Rep. instituenda, atque uel de mundi molitione,
uel de urbe condendâ, uel de domo ædificanda. Nam
hominum causa Mundus, ut etiam Philosophi te-
stantur, dicitur factus: urbes item conduntur; do-
micilia ædificantur; quæ iis, qui successuri sunt,
patres familias amplificant, opibúsque augent:
quandoquidem Deus, qui & Mundum molitus est,
& homines procreauit, his illum subiecit; hos illi
dominos, non ministros dedit. At non Resp. magi-
stratus causâ instituta est; sed magistratus, ut eam
administret, constitutus. Neque enim Aristocra-
tia ob Senatum; at propter Aristocratiam Senatus
esse cœpit: neque populi dominatus ob Tribunos;
at propter populi dominatum Tribuni inuenti dicun-
tur. Hoc enim à Rege differt Tyrannus, à Senatu
dominatio paucorum, quippe cum & Rex & Sena-
tus publici commodi gratia imperet, ac rem omnem
obtineat: suâ uerò causâ Tyrannus regno, pauci do-
minatu abutantur. Quid in re Christiana? num pu-
tas eam ad præsidum commoditates institutam esse?
an præsides ad eam probè administrandam creatos?

Nam Dominus Noster IESVS CHRISTVS, *qui propter nos homines, & propter nostram salutem de cælo descendit, cùm sibi Ecclesiam fundasset, atque extruxisset; Antistites, qui eam tuerentur, & gubernarent, constituit. At uerò inter humanam Remp. et Christianam id sanè interest; quòd illa, tan quàm proximum finem, sibi pacem, uiuendique tranquillitatem proponit: hæc beatitudinem sempiternam; ad quam huius Architectus, atque molitor* IESVS CHRISTVS, *ut opera suorum administrorum perducamur, contendit. In illâ principes et dignitatem et uim dominorum præ se gerunt: in hac omni prorsus dominandi specie depositâ, Antistites ministrorum, famulorúmque omnino personam sumunt. Quod & uerbo nos docuit Dominus Deúsque noster, & exemplo. quippe qui uenerit, ut ipse de se testificatur, ad planè ministrandum; non ut sibi, tanquàm Domino atque Magistro, etsi uterque uerè erat, ministraretur: atque ad uitam pro liberatione multorum profundendam. Illud quoque Augustini scitum admodùm est, cùm diceret, qui ad Pontificatum uocantur, non ad principatum, sed ad famulatum Ecclesiæ seruientem uocari. Quod nemini dubium esse debet: cùm, ut seruus domino, ita Episcopus Ecclesiæ, non sibi, quicquid adipiscitur, acquirat. Quamobrem liquet, officij causâ ordinem Antistitum fuisse constitutum: cùm sine ullâ dubitatione officium eis sit præstitutum: ac si qua dignitas tribuitur, ea profectò officium sequatur. Nam*

Matth. 20. Luc. 22.

Aug. super Isa. hom. VII.

ad

ad officium iis præſcribendum, Paſce, *inquit*, *Dominus*, oues meas, *cùm Petrum alloqueretur: cuius perſona omnes Epiſcopos, qui eſſent in partem operis uocandi, comprehendit. Atque eos officij nomine Paſtores non qualeſcunque quidem inſtituit: neque enim ſis mihi paſtor, inquit; nam & uecordes ſegnéſque paſtores reperiuntur: ſed* Paſce, *hoc eſt inſtrue, cuſtodi, guberna gregem meum, adhibe omnem laborem, exple præceptum in hoc munère exequendo, præbe te paſtorem omnibus numeris & partibus perfectum: cùm Antiſtites ille conſtitueret non ſocordes, ſed prudentes; non ignauos, ſed nauos; non ſomniculòſos, ſed uigilantes ad Eccleſiam adminiſtrandam. An non ex literis tam profanis, quàm ſacris ad templi cuſtodiam, uigilantiam ſemper neceſſariam fuiſſe cognouiſtis? Nam apud ueteres Græcos, qui & haberi ſe Theologos, & appellari uolebant; cùm accepiſſent Hebræorum monimentis traditum eſſe, cœleſtem cuſtodem hortos deliciarum adſeruare, ſeptòſque uigilantiâ tenere; ac Sacerdotes ad diuini tabernaculi cuſtodiam uigilare conſueuiſſe: Dæmonum inſtinctu, tum qui hortos Heſperidum, tum qui in Colchis templum Iouis cuſtodiret, uigilem Draconem, ut ueritatem, quemadmodum non unâ aliâ in re ſolebant, imitarentur, atque adumbrarent, finxerunt. Nec Dominus Deus noſter non iuſſit Epiſcopum aduigilare; cùm ei tanquàm Ianitori, ut peruigilet, præcepit;* Mar. 13. *lumbiſque præcinctis lucernam ardentem in manu teneat. Iam* Luc. 12.

uerò eùm discipulos ad Euangelium prædicandum ac diuulgandum misisset, tanquàm messores eos ire iussit, qui fruges meterent. Nam fit, ut non pauci, ad quarum rerum scientiam eruditi sunt, eas non exerceant. Messis enim, *inquit*, multa est; operarii uerò pauci. *nempe qui operam nauarent; non qui nauare scirent, ac possent. Nam quid prodest rerum doctrinâ & facultate præditos esse Sacerdotes, si minus, ad quod munus electi sunt, exequuntur? Atque, cùm iussisset ad se Aaronem Deus, eiúsque liberos applicari; non ut Sacerdotes, inquit, mihi sint; uerùm ut Sacerdotio fungantur. Quid Paulus? cùm ait, qui Episcopium munus appetit, bonum opus eum appetere; nónne eius laudabilem appetitionem ad opus, quod Dominus constituerat, non ad dignitatem ostendit esse referendam? Quale autem illud opus esset, definiuit, cùm Episcopum dixit doctorem esse oportere; uidelicet qui doceat, non qui arte docendi præstet. quandoquidem exponendo, quid esset Episcopium munus, ut ait Augustinus, docuit Apostolus esse nomen operis, non sanè honoris. quod etiam Hieronymus dilucidè testatur. Ille idem quoque Dominus noster Antistites familiæ suæ præfecit, qui non imperarent, sed, quem in modum diximus, ueluti fideles prudentésque serui ei cibaria præberent; ut sal, epulas condirent; ut lux, prælucerent. Dedit etiam eis talenta, quæ duplicata saltem, cùm ipse rationem posceret, sibi numerarent; non uti inertes, & ignaui,*

Luc. 10.

Aug ad Paulinum.

Hier. ad Honoratum.

ac potiùs nequàm & improbi, uel arenâ obruta, uel in arcâ condita seruarent. Itaque his officijs præscribendis, ad quæ Episcopos instruebat, cùm translationes minimè indecoras ille adhibuisset, doctissimi sanctissimíque scriptores omne munus pontificiæ dignitati assignatum cùm explicarent, tripartitum esse uoluerunt. quippe ad Antistitem attinet enixè omnem operam dare. primùm, ut Ecclesiæ sobolem ad uitam cœlestem mysteriorum usu, & exercitatione gignat, alat, informet, deinde, ut Christianâ doctrinâ optimísque uiuēdi exemplis instituat, foueat, seruet. tum uerò, ut summâ prudentiâ moderetur, regat, gubernet. Nam ad eum propriè, priuatímque spectat, sacris Dei ministros initiare, uirgines consecrare, templa dedicare, altaria ponere, aras sanctè castéque ungere, uasa indumentáque sacra religiosáque efficere: iam aquâ spiritúque diuino ablutos, atque è tenebris in lucem editos, sanctâ unctura ad confirmandum oblinere: his denique omnibus bene precari. Eius deindè præcipuæ partes sunt, docere ac prædicare: hoc est, non modò interdum ex suggesto concionari; sed & frequenter diuinâ oracula interpretari, atque dubijs in rebus responsa dare. Quod cùm summi Ecclesiastici scriptores animaduertissent, eosdem de Apostoli sententiâ Pastores & Doctores esse affirmant: ac si non temerè non dixerit Paulus, alios Pastores, & alios Doctores; quemadmodum dixerat, Alios Apostolos, & alios Eph. 4.

Prophe-

Prophetas: *sed summâ cum prudentiâ*, Alios Pastores & Doctores *disertè dixerit. Iam & probè rem omnem ita administrare, ut non modò ne quid Ecclesia detrimenti accipiat, prouideat: sed toto etiam pectore ad eius utilitatem incumbat, ac pauperum, et uiduarum, pupillorúmque commoditati prospiciat. Quæ uerò Episcopi sint officia, te docuit Ecclesia, cùm ex Pontifice, qui te erat consecraturus audisti, cùm diceret oportere Episcopum iudicare, interpretari, consecrare, initiare, offerre, & abluere. Quia uerò uestrûm nemo inficiatur uim interpretandi & consecrandi & initiandi haberi à Deo; iudicandi item ab eodem dari auctore concedas, necesse est. Quippe ab Ecclesiâ, quæ ad Episcopi munus attinent, æquè atque unà in Episcopi consecratione recensentur. Atque ille idem, qui te consecrabat, ut diximus, Deum orabat, ut tibi claues Regni cœlestis, quarum potestas in gubernando uersatur, præberet; tribuerétque sedem Episcopiam ad Ecclesiam suam regendam. Ac, nequando possis inficiari, à Deo uim Ecclesiæ gubernandæ fuisse institutam, Episcopísque datam; recitentur, quæ accuratissimus Euangelij scriptor Lucas tradidit, cùm* CHRISTVS *Dominus Apostolos esset, post optatissimam illam cœnam, allocutus.* Ego dispono uobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israelis. *Nec uerò Apostolis*

Luc. 22.

stolis hanc ille dedit facultatem, ut in ijs ipsis esse desineret (nisi arbitraris non rectè ab eo Christianam Rempub. esse constitutam) sed quæ in Ecclesiâ perpetuò permaneret. Cùm autem in Apostolorum locum Episcopi successerint, non est dubitandum, quin diuinitùs Ecclesiæ gubernandæ potestatem accipiant. Quod sanè tibi confirment, si repetantur, uerba illa Pauli: Attendite uobis, & gregi uniuerso, in quo Spiritus sanctus uos posuit Episcopos, ut regatis ecclesiam Dei. *Agè uerò Ezechielis Prophetæ uerba consideremus, quo Episcopi munia dilucidiùs, planiúsque inspectemus.* Fili hominis, *inquit*, Propheta de pastoribus Israelis: Propheta, & dices pastoribus: Hæc dicit dominus Deus, Væ pastoribus Israelis: qui pascebāt semet ipsos. Non'ne reges à pastoribus pascūtur? lac comedebatis: lanis operiebamini. *Nempe hæc duo significant, quæ Episcopis ad uescendum, atque ad corpora uestienda, ut docet Paulus, satis esse debent, atque à populo abundè suppeditantur. Quæ uerò sequuntur luxum quendam, ab eâ uiuendi ratione, quæ Antistitem decet, abhorrentem, præ se ferunt.* Quod Pingue erat, *inquit*, occidebatis, *ad maximam pastoris iniquitatem innuendam: cuius officium cùm sit ita gregem compascere, ut tantùm absit, ne macie extabescat, ut pinguius ualénsque admodùm sit: ipse eius cæde opimum adipalémque corporis habitum acquirat. An non tanquàm oues, quæ bene habeant, qui adeò probè doctrinâ Christianâ educari*

Act. 20.

Ezec. 34.

ri sunt, ut rectè uiuant, eos improbi Antistites perdunt, & interficiunt: cùm eorum malo exemplo, ut ad uitam deteriorem inducuntur, sic etiam ad internicionem perducantur? Gregem autem deindè, *inquit*, meum non pascebatis. *Cùm enim pastores positi essent ad oues pascendas, illi se ipsos pascebant: eas autem ita negligebant, ut hæc incommoda consequerentur:* Quod infirmum est, non consolidastis: quod ægrotum, non sanastis: quod confractum, non colligastis: quod abactum, non reduxistis: quod perierat, non quæsistis. *Quinque enim incommoda pecoris malè habentis notantur: quæ diligenter, antequàm eueniant, cauenda sunt: ubi euenerint, pellenda. Ac primum est, cùm uel magnitudine rerum credendarum, uel periculoso temporum motu, nimióque impetu perturbationum, & infelicitatis dimicatione fides religióque infirmatur. præsens autem huic malo remedium sit, si dubitationem Episcopus euellat, tenebras ignorantiæ ueritatis luce expellat, animos labantes sustentet, mentes hæsitantes confirmet, ad res aduersas ferendas hortetur, ad humanam felicitatem mortalis uitæ contemnendam adducat, obsequio denique erga fidem summittat: ut præcipit Paulus, qui laudi Abraamo dedit, quod nunquàm ei fides defecisset. Alterum est, cùm morum probitas ægrotat, animique constantia commodorum auiditate láguet, ac uoluptate flaccescit. quæ ut rectè ualeat, uirésque amissas adipiscatur, uoluntas ita salutari admonitione*

nè sananda est, ut fons perturbationum, à quo omnes id genus ægrotationes emanant, exsiccetur, ac penitus exarescat; eáque cura adhibenda, ut luxus omnino tollatur; quo, cùm animus diffluit, firmitudo eius dissoluitur, honestas fœdatur. Tertium, in discordiâ uersatur, quia ius omne confringitur; atque, ut uulgò fertur, maximæ res dilabuntur; nullaque est domus tam stabilis, nulla ciuitas tam firma, quæ non possit funditùs euerti. Seminarium autem ea cùm sit factionum, atque sectarum, eius uerò mater cupiditas habeatur; ex qua odia, dissidia, seditiones, bella denique nascuntur: hæc non modò sedanda est, uerùm etiam ui & grauitate dicendi restinguenda; ut, quod confractum est, atque disiunctum, amicitiæ uinculis colligetur. Quæ animorum colligatio, quæ coniunctio studiorum nunquàm profectò erit, ut nec illa sanitas mentis, nec ea moderatio uoluntatis; si in diœcesi, quorum est dissensiones conuellere, pacemque conciliare, Episcopi non consederint. Quartum, in hæresi seditiosissimorum hominum consistit, qui pecus abigunt, & à pascuis sanctissimæ matris abducunt. Ad hoc recipiendum, Pauli præceptum adhibeatur; qui iubet semel atque iterum admoneri, ad Ecclesiæ disciplinam ut redeant, qui ab eâ recesserunt. Postremum, in errore positum est, quo ab uniuerso grege longè ouicula aberrat: atque ita in auium de rectâ uiâ deflectit, ut demum omnino pereat, necesse sit; nisi cætero pecore in saltu relicto, ad eam quærendam descenderit pastor, illum imitatus, qui de

de cœlo se demisit, ut quod aberrauerat, reuocaret; &, quod perierat, reperiret. At, quanquam hæc commoda à Dei beneficentiâ proficiscuntur: quia tamen summi Sacerdotis operâ præbentur, fit interdum ut eius incuriâ minùs præstentur: quod idem Prophe ta nos docet. Nam Dispersæ sunt, *inquit*, oues meæ eò, quòd nõ esset Pastor. & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri. *An belluarum ulla uitijs, quæ miserabilem plebeculam laniauit, immanior potest uastiórque reperiri? Quam obrem* Requiram, *inquit*, gregem de manibus eorum. *Reposcet enim, reposcet Deus ab Episcopis rationem pecoris, quod custodiendum, compascendúmque sumpserunt, repetétque omnia detrimenta, quippe qui perindè pro salute plebis uigilare debeant, ut docet Paulus, ac si eius rationem sint planè reddituri.* Hebr. 13. *Considerate igitur, quæ uobis munia Deus ore uatis sui definiat, præcipiat, præscribat; quæ supplicia, si ea neglexeritis, minetur. Ea porrò eiusmodi esse intelligite, quæ uestram præsentiam omnino requirant. quandoquidem non modò concione in templo habẽdâ; sed priuatim quoq; alloquendo, exhortando, deterrendo, consolando, consulendo, prouidendo, defendendo, reprehendendo, admonẽdo; nec tantùm uerbis, uerùm etiam exemplo, ac re proficiendo, subsidijs adiuuando, opibus tuendo, hæc ipsa efficere debetis. Agè uerò expendamus, quæ, qui nos* Ex Pontificiali. *Antistites consecrabat, precabatur.* Sit, *inquiebat*, fidelis seruus & prudens, quem constituas

tu

tu Domine super familiam tuam, ut det illi cibum in tempore oportuno: & exhibeat omnem hominem perfectum. *Quid sibi uolunt postrema hac uerba? Magnum quidem sanè est, ita fidelem prudentémque seruum esse, ut cibaria familiæ, quemadmodùm exposuimus, oportuno tempore tribuat. Sed longè maius & præclarius quiddam erit, si eam perfectam effecerit. Nam Dionysius ille Pauli discipulus, ut tria munera, sic etiam tres ordines reperit in Ecclesiasticâ Hierarchiâ à Deo constitutâ. quandoquidem, ut primum munus perficiendi, alterum illuminandi, tertium purgandi esse dixit: ita summo loco Episcoporũ ordinem; quorũ officium est perficere; secundo Sacerdotum, ad quos attinet illuminare; tertio Ministrorum, quorum est purgare, constituit. At, præterquàm quòd in sacro illo genere propagando, quod ad officia Deo præstanda deditur, & in diuino Spiritu afflando magnâ ex parte ea perfectio consistit: absolutio præterea totius Christianæ familiæ, cùm & in morum sanctitate, & in rerum diuinarum perspicientiâ uertatur, tum luculentissimis ueræ doctrinæ præceptis, tum optimis sanctè castéque uiuendi documentis comparatur. Nam ut ueritatem sanctitatémque & uideant, & ostendant, Episcopi tum lux mundi, tum etiam oculi Dei, quemadmodùm ostensum est, nuncupantur: cùm per eos populus Regni cælestis reconditiora suspiciat. Dicuntur etiam & sal terræ, ut mores condiant: & Vrbs in monte posita, ut tanquàm in conspectu omniũ* Dionys.

con-

constituti, clarissimum eminentissimumque rectè uiuendi exemplar proponantur. Quapropter omnibus uirtutum numeris adeò perfecti expletique sint oportet, ut earum perfectionem absolutionémque non iam nunc discant; sed doceant; non iam nunc quærant, sed impertiant; non iam nunc appetant, sed exhibeant: atque Ecclesiam ita expurgent, ita expoliant, ita excolant, ita exornent, atque illustrent, ita denique perficiant, ut omni maculâ elutâ, omni labe deletâ, omni mendo sublato, multo lumine diffuso, spiritu cælesti afflato, ueluti Christi sponsam pulcherrimam, nullo non laudum genere cumulatam, nullo non sanctitatis splendore ornatam, nullis non denique religionis Christianæ partibus absolutam, Deo patri sint oblaturi. Atque eâ quidem omnia hoc
Ioan. 10. *præcepto*, Pasce oues meas, *continentur. Iam uerò locus ille*, Ego sum Pastor bonus. bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis: mercenarius autem fugit: *si perpendetur, erit planissimè documento, tantùm abesse, ne in Ecclesiâ suâ residere cogatur, ut pro eâ mortem oppetere Episcopus debeat. Præceptum enim hoc est; quod ex Domini exemplo, et ex boni pastoris definitione constat.*
Mat. 10. *Cùm enim Dominum Deúmque nostrum ita nos imitari oporteat, ut cruce in humeros sublatâ eum sequamur, docet ille suo exemplo boni pastoris officium nobis esse fungendum: definit autem sic bonum pastorem, ut eum esse uelit, qui in ouium suarum defensione uitam insumat. Quia uerò pro pecoris sui salute se ipse*

ipſe in arâ crucis mactandum dedit, euidentiſſimè oſtendit ſe bonum paſtorem eſſe; & , quod conſequitur, admonet, quos ipſe ouium ſuarum paſtores eſſet inſtituturus, ut in earum cuſtodiâ hoc idem à ſe documentum ſumerent, quo boni paſtoris munus obirent. Atque, ut euidentiùs, qui ſit bonus paſtor, intelligatur; eum à mercenario diſtinguit, quem conſtituit eum eſſe; qui, cùm uidet lupum uenientem, dimittit oues, & fugit; non ſe pro eis lupo irruenti opponit, non pugnat. Quamobrem? quia mercenarius eſt, quem nulla de pecore cura attingit, nulla animi ſolicitudo excitat; nulla cogitatio permouet. Itaque commonefacit Antiſtites, ut animaduertant ſe eſſe inſtitutos, qui ſint boni paſtores (cùm eius perſonam gerant, qui pro grege ſeruando occidendum ſe præbuit; ouesq; eis, cùm ad cœlum eſſet aſcenſurus, commiſit: quas uti ſuas compaſcerent; & ex quibus ad uictum, cultúmque neceſſarium, laboris fructum aliquem caperent) non mercenarij; qui ad alienum pecus cuſtodiendum mercede conducuntur; non quo ille in ſe amore paſtorem affici oportere declarauit, inducuntur: declarauit autem, cùm ter Petrum rogaſſet, an ſe amaret: ac ſi nos commonefaceret, ut ſummâ duntaxat in Deũ charitate adducti paſtoris officium exequamur. Ad hanc enim ſententiam ea Ioannes docuit eſſe referenda: In hoc enim, *inquit*, cognouimus charitatem Dei, quoniam ille pro omnibus animam ſuam poſuit: & nos debemus pro fratribus noſtris ponere. *Habemus & lo-* 1. Ioan. 3.

H *cuple-*

cupletissimorum auctorum testimonia, qui hunc locum ita intellexerunt. Recita, quæ dixit Gregorius ille Magnus, cùm plebem alloqueretur: Eius bonitatis formam, quam nos imitemur, adiunxit dicens, Bonus Pastor animam suam pro ouibus suis ponit. Fecit quod monuit: ostendit, quod iussit. *Recita, quæ firmissimum Ecclesiæ columen Augustinus.* Pastor bonus CHRISTVS. quid Petrus? non'ne bonus Pastor? nam & animam suam pro ouibus suis posuit? quid Paulus? quid cæteri Apostoli? *Quid qui eis successerunt Antistites? nón ne horum permulti, ut illi ipsi, pro suscepto grege uitam profuderunt? Ille idem Augustinus testatur, cùm Ecclesia uexatur, etiam si periculum mortis immineat, Episcopum fugâ sibi salutem quærere non posse; propterea quòd, ut ille ait, exemplo Domini debet bonus pastor pro ouibus suis animam ponere. Itaque non modò exemplum de grege pascendo, quod sequi nos oporteat; sed normam quoque & regulam dedit, cùm boni pastoris uim propriam ac naturam definitione declarasset: quam tametsi ipse non seruasset, nos quidem iure diuino seruare cogeremur. Nam sanctissimi doctores; quorum in sententiam Nicolaus Pontifex Maximus, & Diuus Thomas iuerunt, ex hoc loco præceptum sumpserunt, quo asserunt; si quod in discrimen Ecclesiæ salus uocetur, Episcopum non modò ad resistendum compelli, uerùm etiam ad mortem pro eâ obeundam. Agite uerò, cognoscite, quàm bellè,*

Greg. Papa.

Augustinus

Nicolaus Papa. D.Thomas.

bellè, quàm appositè, quàm dilucidè, quod definierat, illustrauit; cùm boni pastoris quid sit proprium, explicauit. Ego sum Pastor bonus: & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. *Quasi diceret; se ijs, qui futuri pastores essent, ut boni quisque pastoris munus expleret, documentum tradidisse; quo darent operam, ut & oues agnoscerent suas, & ab ijs ipsi agnoscerentur. Quod cum planè scriptorum Ecclesiasticorum nemo secùs intellexit, tum maximè Theophilactus & amplissimus Antistites & luculentiß. diuinorum oraculorum explanator. Accipite, quæ ille scripsit:* Agnosco differentiam Pastoris & mercenarii. nam mercenarius quidem nescit oues eò, quòd non sæpe illas inuisit. *Et uerò quisquis non cœlesti amore inflammatus Ecclesiam sicuti sponsam sibi coniugauit, multùm abest, ut eius coniugio fruatur, & conspectu atque congressione oblectetur. Nunquid officium boni pastoris præstauerit, qui non cuiusque ouis balatum uultúmque norit? Nunquod ægrotanti præsens remedium afferre poterit, qui ab alijs acceperit; non ipse ex eius aspectu, uoce, omni reliquo motu, & statu morbum perspexerit? An contrà, pastorem suum pecus diligat, auscultet, sequatur, cuius nec uocem unquàm audiat, nec præsentiam aspiciat? Ac, ne quis dubitet, quod sibi attribuit, id in cæteris à Domino requiri; repetatur, quod paulò antè ab eo dictũ est:* Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur

Ioan. x

Theophilactus.

Ioan. x.

eſt, & latro. qui autem intrat per oſtium, Paſtor eſt ouium: huic oſtiarius aperit: & oues uocem eius audiunt: & proprias oues uocat nominatim, & educit eas: &, cùm proprias oues emittit, ante eas uadit: & oues eum ſequuntur, quia ſciunt uocem eius. Alienum autem non ſequuntur: ſed fugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. *Videtis, Patres ampliſſimi, quàm perpulchrè, quàm luculenter, quàm exactè Dominus Deúſque noſter paſtoris munia ſub oculis ſubijciendo eum definierit; atque ab illo, qui paſtor non ſit; ſed, ut ipſe ait, alienus, ſecreuerit. Quo diſcrimine hic ab illo ſeiungitur? quo alio, niſi quòd huius uocem oues agnoſcunt, illius non agnoſcunt? Cuius uocem agnoſcunt oues? non furis, non latronis. quippe cui fores caulæ non pateant, ſed aditus aliundè quæratur. Cuius tandem uocem agnoſcunt? nempe eius, qui per oſtium intrat. Ac, ne oſtium ignoremus,* Ego, *inquit*, ſum oſtium. per me ſi quis introierit ſaluus erit, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Fur non uenit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat. ego ueni, ut uitam habeant, & abundantiùs habeant. *Quiſnam hoc oſtio ingreditur? qui fidei myſterio initiatus Domino Deo noſtro ita credit, ut eum unicè diligat; in eo ſpem omnem ponat; eius quæ ſunt, conſectetur; ad eius gloriam, non ad ſua commoda, omnia ſtudia atque conſilia referat; quæ Deus mandârit, perſcrute-*

Ioan. 10.

scrutetur, ignorari ea non sinat; ut & sciat, quæ sibi ex diuino præcepto seruanda sint, & seruet. Huic profectò ianitor templi fores aperit. hunc docentem plebs audit. hic singulos nominatim appellat, comiter affatur, amicè consolatur, ad concordiam magnâ cum auctoritate hortatur, in officio benignè retinet, ad pascua cœlestis doctrinæ educit, ducem eis in uitæ actione se præbet, discordias tollit, lites componit. hunc libenti animo illi sequuntur. Quamobrem? quia frequenter hæc munera is ità coràm exequitur, ita crebro illos inuisit, ita complectitur, educat, fouet, quò uberiùs uiuant, ut uocem uultúmque eius agnoscant. Non sic fures, non sic latrones, qui non ostio, sed alio aditu ingressi omnia diripiunt, expilant, dilaniant. Quid, qui à grege alieni sunt? nónne, etiam si quando per ianuam intrent, ita rem tamen non ritè administrant, ut quasi mercenarij, meritò externi habeantur, & alieni? An non sapientis documentum illud unquàm animaduertistis, ad quod Domini elogium uidetur allusisse? Diligenter cognosce uultum pecoris tui, tuosque greges considera. *Num alium quempiam pastorem ille alloquitur, quàm qui populum regendum custodiendúmque sumpsit? Nam uerius dici putas* ποιμένα λαῶν, *qui Remp. aliquam apud ueteres administrabat, quàm qui Rem Christianam gubernat? atque singulorum ciuium aspectum intueri, suo singulos nomine, ut docuit etiam Homerus, appellare, totá mente in eam curam co-* Pro. XXVII.

H 3 gitatio-

gitationémque incumbere, ne quis incommodi quic quā accipiat, ad hunc minùs attinere, quàm ad illum attinebat? Accedat eôdem Pauli sententia, qui munus Episcopi in eā constituit actione, cuius nunquàm eum pudere possit, atque in docendo, quod uerum est, cùm Timotheum commonefaceret, ut eum se Deo exhiberet, quem ille esset probaturus; & quidem operarium, qui meritò nunquàm erubescat, & quæ in ueritate consistunt, pertractet. Omitto præterea permulta, quibus Episcopia munera facilè probarem à Deo fuisse instituta: cùm id sententiæ nostræ aduersarij nobis aßentiantur. Quod reliquum est, ut esse eiusmodi hæc planè demonstremus, quæ, nisi præsens, ille exequi nequeat; quamuis magnâ ex parte actum esse uideatur, id tamen, quàm breuißimè poterimus, conficere contendemus: ut demum ei iure diuino esse in suâ diœcesi residendum concludamus. Ius autem diuinum propriè priuatímque appello, quod uel ex diuinæ scripturæ monumentis constat: uel ex præceptis, quæ & si literis prodita non sunt, data tamen à Deo cùm essent, deinceps memoriter, tanquàm per manus, tradita iam usque ab ætate Apostolorum ad hanc nostram peruenerunt. Quæ uerò scripta sunt, aut proprijs apertísque uerbis expressa reperies, aut ijs quidem certè, quæ tantundem ualeant. Nam perspicua illa quidem claráque uerba sunt: Nisi quis ex aqua Spirituque sancto renatus fuerit, non potest introire in regnum Dei. *&* Qui crediderit,

Ioan. 3.

&

& ablutus fuerit, ſaluus erit: qui non crediderit, condemnabitur. *Illa uerò*, Paſce oues meas. *&* bonus Paſtor ponit animam pro ouibus ſuis: *id ualent, quod eſſet, ſi hæc dicerentur, Sit tibi curæ, ut ad paſcendas oues meas reſideas. Et illud habeto, boni paſtoris eſſe non modò à grege neutiquàm diſcedere, ſed pro eo uitam quoque deſerere. Quidnam exiſtimas eſſe reſidere, niſi inſtare, urgere aſſiduè, perficere quod ſuſceperis, ita arctè cum grege coniungi, ut, duo qui ſitis, unum tamen eſſe omnes perſpiciant. Audi, quæ Auguſtinus, cùm ea uerba*, Petre amas me: paſce oues meas: *exponeret, dixerit*; Sic ei oues commendabat, ut eſſet ille caput, & ille figuram corporis, id eſt Eccleſiæ portaret; &, tanquàm ſponſus & ſponſa, eſſent duo in carne una. unum enim facere Petrum & Eccleſiam uolebat. *Quod Deus à Petro tunc exegit, à te quoque nunc exigit; nimirum unum eſſe illum quidem & Eccleſiam uniuerſam, te uerò & quam eius partem ſumpſiſti. Quod ſanè quidem eſt, ſi ſuſceptum pecus non deſeris; ſed præſentiâ tuâ cuſtodis, paſcis, defendis: atque ita defendis, ut, cùm opus fuerit, pro eo mortem oppetas. Num unum eſſe poteſt, qui abſit? num paſtoris abſentis uultum oues agnoſcunt? num uocem audiunt? num abſentem ſequuntur? num abſens ille in eas lupo inuadenti ſe opponit? eas tutatur? pro eis uitam ponit? num abſens labantem ouiculam ſuſtentat? cadentem erigit? iacentem tollit?* August.

lit? aberrantem quærit? repertam gaudens humeris suis reportat? ægrotantem sanat? balantem solatur? abactam repetit? arietum certamen dirimit? concordiam inter eos conciliat? num quam aliam officij sui partem agit? Quid Petrus? quid Paulus? quid cæteri Apostoli? quid successores, Clemens, Anacletus, Euaristus, Alexander, Ignatius, Polycarpus, Phileas, Cyprianus, cæteri sanctissimi & gloriosissimi milites Domini nostri IESV CHRISTI, *quorum seriem longi operis esset recensere? nónne, quod Dominus præcepit, intellexerunt, intellectúmque seruauerunt? num gregem unquàm deseruerunt? An non adeò in eo custodiendo atque pascendo resederunt, ut pro eius salute nihil, quod periculum intenderet, extimuerint; nihil, quod esset agendum, prætermisserint; uitam denique absumpserint; ut cuique, quod priuatim Domino Deo nostro attribuitur, sibi non falsò id assumere licuerit? Quídnam tibi, uinea mea, facere unquàm potui, quod nõ fecerim? Ego, his manibus, his inquã manibus te cõseui: te sepe densissimã circunuestiui: te firmissimo præsidio muniui: in te eminẽtissimam turrim ad te custodiendam extruxi: quàm maximo poteram opere, ut fructum ferres, colebam: te ab immani apro, ne te inuaderet, defendebam: à te belluam singulari feritate insignem, ne te illa popularetur, propellebam: pro te denique nihil sanè laboris unquàm, ne illud quidem, ne cum sanguine uita efflueret, recusaui. Nunquid est, ut nobis id quo-*

que

que liceat profiteri; quibus nihil profectò minùs curæ eſt; quàm, ut in adminiſtratione rerum, quæ ad Deum ſpectent, commoremur? Cùm autem omnia, quæ ſcripta ſunt, ad nos erudiendos ſint conferenda; perpendatur, obſecro uos, quod de Petro Eccleſiæ principe memoriæ proditū eſt. Is enim cùm acerbitate ſupplicij deterritus, uitæ periculum, quod impendebat, fugeret; urbe egredienti dicitur Dominus occurriſſe; agnitúsque atque rogatus, quò iret; reſpondiſſe, Romam, ut iterum in crucem tolleretur: intellexiſſe autem ille ſibi Dominum eſſe imitandum, Dominique & præcepto & exemplo compelli ad uitam pro grege ſuſcepto profundendam. Et quàm primùm paruiſſe: actúsque in patibulum; quæ Dominus noſter IESVS CHRISTVS *Eccleſiæ iecerat fundamenta, in urbium omnium reginâ communiſſe, eique mœnia circundediſſe: ut, quemadmodùm Romana potentia uniuerſò terrarum orbi imperabat; ita Romana Eccleſia uniuerſæ rei Chriſtianæ præeſſet: ac Roma hoc nouo Architecto magis, quàm priſco illo Romulo gloriaretur. Quod cùm Beatiſſimus ille Pontifex Maximus Leo pulcherrimâ oratione effuſè proſecutus eſſet; ego quidem hoc carmine, cùm templum Diui Petri inuiſerem, ſum complexus:* Rom. xv.

Dic mihi, Romanæ maior qui conditor urbis;
Romulus, an Regni Ianitor ætherij?
An'ne homo, an ipſe Deus? periturū denique Romæ
Ille quidem Imperium, aſt hic ſine fine dedit.

Ille

Ille caput Latij regnantem effecerat orbis:
Hic extra fines protulit Oceani.

Iam uerò, qui abest Antistes, neque prolem Ecclesiæ potest uirtute mysteriorum procreare, neque uitæ præceptis informare, neque subsidijs tueri, nec diuinâ sapientiâ gubernare, nec opus ullum obire, quod suam præcipuè curam attingat. Num quem de plebe accedentem affari, tristem consolari, egenti subuenire, periclitanti opitulari, ignorantem docere, errantem admonere, peccantem corrigere, roganti respondere, dubitationes euellere, falsas opiniones delere, dissidia dirimere, omne odium amicitiæ uenenum expellere, amicitiam gignere, genitam augere? num ut publicæ felicitati, sic & singulorum saluti omni studio, omni consilio, omni denique labore prospicere? num sanæ doctrinæ qui obloquuntur, arguere? num eorum uanitatem, qui honestas piásque domos euertunt, comprimere? At perspectum uobis est ex præcepto Pauli, oportere Episcopum amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possit exhortari doctrinâ rectâ; & eos, qui contradicunt, reprehendere. num Euangelium prædicare? num urgere, instare, increpare, castigare? Atque ille idem Paulus, cùm tempus è uitâ abscedendi immineret, qua obtestatione id Timotheo mandârit, tametsi non ignoratis, adhuc tamen cognoscite: Testificor coràm Deo & IESV CHRISTO, qui iudicaturus est uiuos & mortuos per aduentum ipsius, & regnum

1. Tim. 3.

2. Tim. 4.

gnum eius: prædica uerbum, inſta oportunè importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. erit enim, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt. *Quid ſignificant illa uerba, Oportunè, importunè? quid aliud, quàm quod Chryſoſtomus & Theophilactus docuerunt? Epiſcopo nullum eſſe definitum, certúmque tempus in ſuâ diœceſi conſidendi; ſed perpetuò, ſuo, alieno tempore, ſiue pace omnia ſint tranquilla, ſiue bello perturbata, ſiue tuta uideantur, ſiue in periculis maximis uerſentur, laboris plurimum ſumendum: & quod multò antè Euariſtus Pontifex Romanus his uerbis explicauerat?* Epiſcopum oportet oportunè, & importunè, atque ſine intermiſſione eccleſiã docere, eãque prudẽter regere, & amare, ut à uitiis ſe abſtineat, & ſalutẽ conſequi poſsit æternam. *Audite &, quæ ſequũtur:* Euariſtus. Tu uerò uigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple. 2. Tim. 4. *An qui in Eccleſiâ non reſederit, in eâ uigilauerit? omnem operam nauauerit, præconis opus ad Euangelium perulgandum obierit, famulandi miniſtrandíque munus expleuerit? Quamobrem, cùm Dominus Deúsque noſter, ut planiſſimè oſtenſum eſt, Epiſcopos, qui hominum ſint paſtores, gregémque ſuum paſcant, inſtituerit, híſque finem ſalutem illorum propoſuerit, officia uerò ad eam quærendam, afferendámque perſcripſerit, neque autem hi munus exequi ſuum, niſi in præfecturâ reſederint, queant;*

neque

neque immortali animorum felicitati consulere: consequitur planè; ut, qui illa constituerit, edixerit, mandauerit; hoc item, ut Antistites in diœcesi resideant, præceperit. Nam, quo iure continentur, quæ agimus, eodem quoque teneantur oportet, quibus utimur ad ea peragenda: quo illud, quô tendimus, eodem & studia eô perueniendi, & omne id, quod eô ferat, atque deducat: quo rei susceptæ finis, eodem & quibus eum assequimur. Quia uerò Dei mandato Episcopus Ecclesiæ officia sua præstare debet: ad hæc autem præstanda ei necessarium est ibidem, ut latissimè demonstrauimus, residere; consequens est, ut eodem mandato ad residendum in eâdem diœcesi compellatur. quippe cùm id quod personæ tribuitur, eius præsentiam requirat: personæ autem, quæ per se & sciat, & queat rectè obire munus, quod susceperit; non generis claritati, non potentiæ, non fortunæ, dignitas, qua cum rerum administratio coniuncta sit, deferatur: at cum Pontificio magistratu ita curatio pastoralis iure diuino cohæreat, ut personæ sit ea tribuenda, quæ per se, illum gerere, ut Deus præcepit, neque ignoret, neque non possit. Neque enim in Episcopo deligendo tam multa maiorum nostrorum concilia, tótque Pontifices Maximi tantum operæ ac diligentiæ ponendum esse statuissent, nisi personæ Episcopium munus tribuendum esse perspexissent; & quidem tantâ uirtute affectæ, quanta in eo requiritur, qui sit in optimo hominum genere collocandus. Cùm enim tria genera

homi-

hominum ueteres Philoſophi, teſte Heſiodo, fecerint: unum eorum, qui nec per ſe ſciant, nec conſulant peritiores, quòd peſſimum eſſe dixerunt: alterum, quod optimum, eorum qui et per ſe intelligant, quod rectum ſit, & agant: tertium, quod mediocre, eorum qui, & ſi per ſe ignorant, à prudentioribus tamen conſilium capiant: ex illo optimo Antiſtites Dei præcepto ſunt eligendi. Nam ubi bonum paſtorem ille definiuit, optimum deſcripſit: cùm optimus qui non ſit, bonus paſtor eſſe non poſſit: et ſicuti Horatius Poetis dixit, ego quidem affirmem Paſtoribus, eſſe mediocribus non licere. Ex quo fit, ut, qui iure diuino paſcere coguntur, eodem quoque ad reſidendum compellantur. Quemadmodum enim, quia Dei mandato proximum diligere debemus; ſequitur, ut eodem mádato ei pecuniâ noſtrâ ſubuenire debeamus: quando Ioannis teſtimonio diuinâ is charitate non ardet; qui, cùm bonis affluat, quem uidet egere fratrem; nullâ liberalitate proſequitur: ita cùm Dei præcepto Epiſcopus docere cogatur, eodem ut ad docendum reſideat, oportet; ac proſpiciat, ut ne ſit ueluti fucus inter apes: at ſolis inſtar habeat, cuius præſentiam & lux & calor conſequatur: ut tenebris ignorantiæ depulſis, altera mentes hominum illuminet, altero frigentes inflammet ad corporis myſtici perfectionem. Nec dum quiſquam dubitauit, cùm iuſſiſſet Apoſtolos ire ad Euangelium peruulgandum, præcepiſſe Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, *ut docerent & paſtoris*

1. Ioan. 4. & 3.

ſtoris officio fungerentur. Nam ab Apoſtolico officio non erat in eis Pontificia poteſtas ſeiuncta: et, quod de Epiſcopio munere fungendo eis mandauit, etiam his mandaſſe, qui eſſent illorum in locum ſucceſſuri. Vt enim cùm eoſdem Apoſtolos iuſſiſſet facere, quod ille in ſanctiſſimâ illâ cœnâ feciſſet, & antequàm ad cœlum aſcendiſſet, accipere Spiritum ſanctum ac poteſtatem & ligandi & ſoluendi; uoluit illud idem facturos eſſe, & Spiritum ſanctum, uímque abſoluendi accepturos, qui poſthac eſſent Sacerdotes cooptandi; nimirum ut utrunque per

Ioan. 21. Mar. 16. Luc. 22. Eph. v. Act. 20.

ſe ipſos explerent. Ita, quod ille dixit Petro, nempe ut paſceret oues ſuas; et quod omnibus item Apoſtolis, quippe ut Euangelium prædicarent, ut ad iudicandum de plebe ſuâ ſederent, ut Eccleſiam regerent: idem quoque cæteris omnibus, qui Epiſcopi futuri eſſent, dictum eſſe maiores noſtri intellexerunt, ut per ſe quiſque hoc munus exequeretur. Nam Paulus malum ſibi ominabatur, niſi Euangelium annuntiaret; &, quod in mandatis habebat, efficeret. Atque, cùm omnis Epiſcopia poteſtas à Deo ſit ad oues paſcendas inſtituta, qui eam fuerint adepti, iure diuino per ſe paſcendi officium ipſi obeant, oportebit; et ad quem Pontificium honorem aſcenderint, eius onera ſuſtinere cogantur. Nam, ut oculi ſuapte natura ad intuendum atque ad conſpiciendum in fronte poſiti ſunt; ita Epiſcopi in præcelſo dignitatis gradu ad pecus cuſtodiendum, atque ad ſpeculandum collocantur. Iam uerò

In Politicis.

rò, ſi Ariſtoteles non mentitur, in Rep. Magiſtratus, quem in animali anima, locum tenet: in Eccleſiâ non eundem Epiſcopus tenebit? Ac, ſi anima abſceſſerit, cadat corpus; uitámque animal amittat, neceſſe erit: ſi deſit Magiſtratus, pereat Reſp. ſi abſit Epiſcopus, Eccleſia non malè habeat? Quid? rerum, quæ à naturâ in uniuerſitate proficiſcuntur, gubernatio, naturalium præſentiam exigit cauſarum: Reip. ab homine conſtitutæ adminiſtratio ab ijs, qui præſident, ut conſideant, poſtulat: quam Deus fundauit Eccleſiam, cùm longè præſtantior ſit, eius curatio Epiſcopis reſidendum eſſe non poſcit? Nunquis præſidere poteſt, qui non reſideat? nam, etſi non quiſquis reſidet, præſideat, oportet: nemo tamen quiuerit præſidere, quin etiam reſederit: ut nemo eſt homo, qui animal non ſit. Agè uerò, ſi docet Paulus Epiſcopum eſſe oportere, qui rectè ſuæ præſit familiæ, liberóſque in officio, atque in caſtimoniâ retineat; qui uerè ſuæ familæ præeſſe neſcit, hunc eſſe diligentem in Eccleſiâ Dei gubernandâ nequire: nónne ut pater familiâs, dum aberit domo, nec familiæ ſuæ præſidere, nec liberos regere poterit, neque caſtè educare; quippe quos, ſi longo poſt tempore ille redeat, ne agnoſcat quidem; tantùm abeſt, ut in eos curam diligentiámque contulerit: ita, diu qui à ſuâ diœceſi abſuerit, Antiſtes, neque Eccleſiæ Dei præeſſe poterit, neque in eâ, quos genuit, filios caſtè ſanctéque erudire? Nam illo eodem Apoſtolo auctore, hæc ita inter ſe compa- 1. Tim. 3.

comparantur; ut, quam habet paterfamiliâs cum familiâ, cui præest, comparationem; eadem Episcopo sit cum Ecclesiâ, quam regendam susceperit. Ecquis pastor Ecclesiasticus non sibi ad imitandú accurationem ac uigilantiam, ab illo Israhele electi populi parente in alieno pecore compascendo, adhibitam sumere deberet? Si homini ille rationem cùm esset redditurus, ut nos commonefecere Damasus Pontifex Maximus & Chrysostomus Constantinopolitanus Antistes, summâ diligentiâ summâque solertiâ dies, noctésque in saltu ad custodiendum pascendúmque soceri gregem, insumebat: qui Deo rationem suæ curationis redditurus est in eius Ecclesiâ regendâ non tantundem operæ atque studij posuerit? Ille abditos recessus, syluásque compascuas habitabat, & à consuetudine propinquorum abhorrebat, ut oues suâ præsentiâ pingues, ualentésque haberet: hic urbanas delicias non reliquerit, non Româ absuerit, non ab aulâ discesserit, ut præsens Domini pecus pascat? Ac si rectè à Diuo Hieronymo Paulus tanquàm Christi Apostolus cùm Præfecto prætorio Cæsaris militum magistro; à nobis Episcopus, uti Christi Vicarius, confertur: uideat, quæso, quantum laboris, quantum industriæ, quantum uigilantiæ, ut ipse suæ militiæ munus obeat, sit adhibiturus. Nimirum hoc illud est, quod pulcherrimâ comparatione insinuatur, hominis, qui cùm peregrè esset profecturus, uocatis seruis tradidit bona sua; cùm Domino Deo nostro, qui antequàm è

terrâ

terrâ ſe extuliſſet, diſertè iuſſit diſcipulos paſcere oues ſuas, & ire ad omnes gentes docendas, ab eis rationes, ubi ipſe rediſſet, accepturus. Quid eſt enim, ut Eccleſiaſticas ille poteſtates inſtituerit, ac ſuum cuique munus adſcripſerit? num ut nomine & gloriatione inflati dignitate fruerentur, non ſuo ſinguli officio fungerentur? Repetat illud quiſque ueſtrûm memoriâ, quod ſibi precabatur, qui ſe conſecrabat: Da ei, Domine, claues Regni cœlorum: ut utatur, non glorietur poteſtate. Ex Pōtific.
Quam ob rem Paulus, Eccleſiam Dei cum humano corpore, miniſtros cum membris comparauit? nónne, ut quemadmodùm illa in corpore ad, quæ cuique munia tributa ſunt, peragenda ponuntur: ita hi ſe intelligerent in Eccleſiâ conſtitutos, ut ſuùm ſinguli opus ad ædificationem corporis Chriſtiani conficerent. Quomodo conficerent, ſi abeſſent? nam, ubi non adſis, perindè eſt, ac ſi neutiquàm ibidem ſis. Itaque, ſi iure diuino non eſſet in præfecturâ Eccleſiaſticâ conſidendum, diœceſis ſine præfecto eſſe poſſet. quippe, ſi rei natura ita ferret, ut abeſſe Epiſcopis ab Eccleſiâ, cum libeat, liceret; ſequeretur, quod maximè abſurdum eſt, ut Eccleſia poſſit Epiſcopis carere. Cùm autem greges ouium ſuum quiſque cuſtodem, Eccleſiæ ſuum quæque præſidem habeant, neceſſe ſit; neque cuſtodire poſſit, qui non ſpeculatur; nec præſidere, qui non reſideat: ſi abfuerit Epiſcopus, propterea quòd nec reſidere abſens quiſquam poteſt, neque ſpeculari, quod longè ab aſpe- 1. Cor. 12.

I ctu

ctu remotum sit; grex custode, Ecclesia præside caruerit. An putas omnem agrum Israelitanum à Deo factum esse Sacerdotibus ex parte decimâ uectigalem, qui diuino tabernaculo seruirent; ab eodem non habuisse mandatum Sacerdotes, ut in eo famulatu considerent? Nisi arbitraris aliam ob causam aut decimas dari consuesse; aut Dominum operarijs soluendum esse stipendium censuisse: aut Paulum illum, quem persæpe appello, cùm ad Corinthios scriberet, multa ex lege naturæ arrepta congessisse, ad ostendendum Ecclesiasticis operis mercedem deberi; cuiusmodi est, cùm nec suis stipendijs quenquã asserit militare; nec esse, quod scriptum etiam reperiri fatetur, os boui trituranti alligandum; nec magnum quiddam esse, qui serit, quæ spiritum afflant salutarem, afflatúmque alunt, atque efficiunt immortalem; si, uim corporis quæ sustinent, metat; nec non Dominum statuisse, qui Euangelium annuntiaret, ut de Euangelio uiueret: aut cùm ad Galathas, præcepisse, ut, qui diuinis erudituг præceptis, erudienti omnia bona communicet; ex quo fit, ut communicationem bonorum sanctæ rectæque doctrinæ communicatio necessariò consequatur; etsi doctrinæ communicatio sine illâ esse potest; cùm aliquando ille idem Apostolus, qui bona cælestia præberet, uitæ mortalis commoda nõ caperet: aut Thessalonicenses rogasse, ut nossent, qui inter eos laborarent, ac nomine Domini præessent, atque docerent; nempe ut operis causâ, quod nauarent, quàm

1. Cor. IX.

libera-

liberaliſſimè, commodiſſiméque haberent, et ſummâ charitate proſequerentur. An perſuaſum habes tot bona, tot commoda, tot uectigalia Epiſcopis, non Eccleſiæ legata eſſe? illorum, non huius cauſa? quòd illi uel perdocti, uel claro illuſtríque loco nati, uel quouis ingenij, animíue ſplendore inſignes; non quòd huius adminiſtri ſint, huic ſeruiant, huic deníque famulentur? Neque enim inficiari potes ſanctiſſimos prudentiſſimósque Romanæ Eccleſiæ præſides diuina oracula ſecutos, apertè ſtatuiſſe operis causâ Eccleſiaſtica ſtipendia perſolui, pontificias dignitates deferri, ac planè omne beneficium propter officium dari. Quid tam multa? potéſtne quiſquam humanâ lege compelli ad mortem pro aliorũ ſalute obeundam, niſi id uel Deus, uel natura præceperit? Quíſnam illi paruerit, etiam ſi pro Rep. pro Regno Dei, pro Eccleſiâ hoc ipſum imperârit; niſi id iure niti uel naturali, uel diuino exiſtimauerit? At ampliſſimis uerbis Dominus conſtituit, paſtori pro pecore defendendo uitam eſſe profundendam: ídque exemplo docuit, cùm ipſe maximus optimus hominum paſtor pro eorum ſalute libentiſſimo animo mortem oppetierit. Quod ita ſanè cùm omnes & ſanctitate & ſcientiâ maximâ præditi patres, tum uerò, ut dictum eſt, Auguſtinus Epiſcopus Hipponienſis, cuius doctrina Eccleſiæ non parua columna eſt, & Nicolaus Pontifex Romanus, cuius conſulta uim mirificam habent, acceperunt; ut Epiſcopo ab Eccleſiâ ſuâ diſcendendum non eſſe ſtatuerint.

Inn. 3. de præ. c. cum ſecundum in poſt. & de Relcr. c. poſtremo.

rint. Quid si maximi detrimenti periculum intendatur? si hoc ei priuatim, non etiam Ecclesiæ impendeat, licere concedunt, ut suæ saluti prospiciat, abscedere; modò sedatis fluctibus, ac tempestate commutatâ, qua iactabatur, quàm primùm ad ouium suarum curationem se referat. Quare, si nullo alio rerum, nisi hoc uno discrimine, fas est illi gregem sibi commissum relinquere, dummodò, ut primùm licuerit, redeat; sed adeò necesse in eo pascendo commorari, ut pro eius tutelâ uita etiam sit ponenda: quo præterquàm diuino iure hoc ei præscriptum esse putaueris?

Peroratio. *Illud porrò omnes uelim, Patres optimi, consideratione complectamur; siqua ratis sine gubernatore in mari uastiss. undique maximis cincta periculis uehitur, & dum hinc uenti increbrescunt, procellæque impendent, indè prædonum classis insequitur; initur consilium qua normâ, qua regulâ, qua ratione ad gubernaculum, ut portum tenere queat, sit sedendum; res autem in dubium uocatur, ac diutiùs, quàm opus est, differtur, nisi quàm primùm eâ lege ad gubernandum eatur, quá dedit, qui primus nauigandi artem inuenit, fore alterum de duobus, uel ut fluctibus obruatur, uel ut in piratarum manus deueniat: ita, cùm Ecclesia nauis instar habens, quam Pontifex Romanus uniuersè, ut princeps, gubernandam suscepit; Episcopi uerò partitè ac singulatim, prout quisque in partem laboris adscitus est; in hoc mari tam æstuoso, tam fœdâ tempestate malorum exortâ, tótque non*

uno è sinu prodeuntibus prædonum sectis ad se inuadendam, in maximum discrimen adducta uideatur; propterea quòd, & si non deest, qui puppim bene regat, clauúmque rectè teneat; desunt tamen, qui in lateribus, qui in prorâ nauigium tueantur (nã longũ amplúmque est) dum hoc loco cunctamur, et quæ ratio gubernandi sit ineunda in disceptando hæsitamus; uerendum est, quando haud unâ in parte tum soluitur, fluctibúsque calamitatum obruitur; tum in uim impiarum opinionum, quæ prædātur ac rapiunt, incidit; ne tota denique, quod omen Deus auertat, opprimatur. Quamobrem, si nauim saluam defensámque uultis, uestrũm est, Patres Amplissimi, prouidere, ut eâ quisque suam partem ad custodiendum tuendúmque susceptam, ratione sibi esse gubernandam intelligat, qua regendam, qui eam construxit, instituit. Vnus enim Dominus noster IESVS CHRISTVS *Ecclesiam fundauit, unúmque ius est, quo illa administratur; nempe quod ille ipse constituit; quæcunque insuper lex ascripta reperitur, hoc sanè quidem iure nititur. Nec dubitandum est in seuero tribunali de nostrâ postulatione uobis reddendam esse rationem: ut, siquam ista uestrâ hæsitatione res Christiana iacturam fecerit, æternum supplicium, quod Deus obruat, soluendum sit: sin uestrâ sapientiâ, uestróque studio rectè ei prospectum fuerit, ut opto, atque obsecro, beatè uiuendi decus immortale consequendum.*

ANTONII

SEBASTIANI MINTVRNI,

EPISCOPI VXENTINI,

De officijs Ecclesiæ præstandis;

TRIDENTINA IIII.



EMINI *quidem uestrûm, Patres Amplissimi, ut puto, dubium est, quin apertissimè ostenderim, primò iustas honestásque ob causas postulatum esse; ut, quo iure sit Episcopis in suâ cuique diœcesi cōsidendum, decernatur: deindè, si diuinum illud esse declaretur, tantùm abesse, ut eá declaratione sedes Apostolica detrimenti quicquam sit acceptura, ut longè plus splendoris, uímque maiorem adeptura esse uideatur: tum uerò, Episcopos à Domino nostro* IESV CHRISTO *ad Ecclesiam regendam fuisse institutos; iísque munia quædam præstituta, atque ad ea præstanda Dei mandato esse residendum. Sed quoddam mihi egregium & præclarum contradicendi studiū ostenditur: cui quemadmodùm resistam, magnoperè est mihi, Patres optimi, nitendum. Etsi, cùm loquar apud sanctissimos Antistites Ecclesiæ, legum*

& iuris cuſtodes, timere non debeo, ne diuinum præceptum ita contemnatur, ut ſinatur omnino ignorari. Nefas enim nobis eſſe arbitramur, Pontificis Maximi poteſtatem non tueri: & rectè ac meritò, ſiquâ ex parte eius maieſtas, qui uniuerſam Eccleſiam gubernat, ac regit, minui uidetur, commouemur: alienum rationis, Epiſcopi dignitatem contemnere, qua nihil præſtantius, nihilque maius à Deo profectum eſſe ad homines exiſtimamus: Domini Deique noſtri, à quo quidem Eccleſia quicquid maieſtatis, quicquid dignitatis habet, accepit, auctoritatem negligere fas erit? An non ea negligitur, ſi, ad quod propoſitum eſt decernendum, atque ſtabiliendum, nihil ualere putatur? ſi de loco ipſo deijcitur, quem eâ in re, quæ agitur, in primis obtinet? ſi denique diſſimulatur, quod Deus ipſe mandauit? Scilicet quod homines præceperint, ſcire maximoperè ſtudemus: quod iuſſerit Deus, libet neſcire? Illud prodeſſe plurimùm arbitramur: hoc non modò nihil utilitatis afferre, uerùm etiam multùm obeſſe. Non ſic ille & Rex & Vates Maximus, quo quidem Deo nihil unquàm chariùs fuit. hoc unum ille maximè petebat, ac potiùs efflagitabat, ut Domini uoluntatem perſpiceret. intelligendi uim ſibi dari poſcebat, ut eius legem perſcrutaretur. Nempe lucernam pedibus, lumen ſemitis ſuis Dei præceptum eſſe ſtatuebat, eiúſque uerborum declarationem illuminare, atque uim ipſam dare intelligendi. Ipſe Dominus iuſſit nos, quæ ſcripturâ ſunt recon- Pſ. 26. Ps. 118.

dita, ſcrutari: nos uerò piget animaduertere planiora, animaduerſa atque perſpecta conſectari, controuerſa et dubia declarare. Iam uerò ad oues, quæ abactæ ſunt, recipiendas enixè incumbendum eſſe cenſemus: ad eas retinendas, quæ à grege nondum aberrauerunt, curæ nihil adhibemus. Ad aliorum, qui defecerunt, ſalutem quærendam omnia ſtudia, conſiliáque noſtra nitimur conferre: noſtram maximè negligere uidemur. Ad tollendas ſectas, quæ aliquâ in hæreſi uertuntur, operæ plurimùm damus: ad euellendum errorem, in quo ipſi eorum causâ uerſamur, qui in controuerſiam, quod de iure diuino nemini dubium fuit, adduxerunt, ne hilum quidem nobis eſſe elaborandum exiſtimamus. Quíſnam maiorum noſtrorum unquàm dubitauit, CHRISTVM *Dominum Paſtores in Eccleſiâ poſuiſſe; ijs mandaſſe, ut ad cuſtodiendas oues omnem diligentiam uigilantiámque ponerent; eas agnoſcerent, blandè nominatímque appellarent, ad paſtionem ducerent; eis præirent; pro earum ſalute uitam denique, ubi opus eſſet, profunderent. Num exequi harum aliquid rerum poteſt, qui gregem non inuiſit, qui alteri cuſtodiendum committit, qui in eo paſcendo non commoratur? Ac iure optimo illa nobis proſpicienda ſunt: hæc omittere, par eſt, ut nefas eſſe arbitremur. Nec temerè, Patres Ampliſſimi, dixi nos in errore uerſari, noſtrámque ſalutem negligere. audiui equidem ab Epiſcopo perdocto illo quidem uiro, atque etiam ſancto, ſed quem ſanè cuperem ſanctitate*

tate

tate æquè ac doctrinâ præstare; cùm diceret se admodùm iuuare, quòd ipse antehac opinabatur, naturali atque etiam diuino iure teneri; nunc in dubitationem adductum esse: cùm antequàm statuatur, Dei præcepto Episcopo esse in Ecclesiâ considendum, sibi non considenti, existimaret supplicium æternum neutiquàm esse metuendum. nam iure Ecclesiastico, quo eiusmodi negligentiæ non unum mulctandi genus ascriptum est, inficiabatur illud esse constitutum. Itaque, ac si reus detestabilis peccati non esset eò, quòd an Deus id mandârit, Ecclesia nondum declarasset; illâ iuris ignoratione frui uolebat. Vtinam uel ille unius hac in re laberetur, uel hæc opinatio nihil erroris haberet. An cuiquam fas est uelle, quod Deus præcepit, ignorari? Ego uerò tantùm abesse puto, ut fas sit cuiquam id uelle, ut etiam summo sceleri, hoc illi existimem esse tribuendum; & uerò, quòd ea pœna, qua grauius nihil sit, astringendum esse uideatur. quanquam homini quæ maior pœna esse potest, quàm à Deo, qui omnia nouit, quæ sint, quæ fuerint, quæ mox uentura trahantur, ignorari? Cùm autem ignorans, ab illo, ut scriptum est, ignoretur; &, quem puduerit, dixerit Dominus, de se in conspectu hominum loqui, auersaturum se coram patre suo; quantò magis eum ignorari fatendum est, qui sponte suâ nescit, quod si uellet, scire posset? quantò magis à Domino contemni, qui suâ uoluntate negligit eius mandatum profiteri? Nec uerò assentiendum est, nondum Ecclesiam hoc

esse

esse Dei præceptum intellexisse. Quónam pacto id ea testificari euidentiùs potuisset, quàm cùm sæpissimè tot sanctissimorum patrum Conciliis, tot beatissimorum uniuersæ Ecclesiæ præsidum consultis, tot doctissimorum scriptorum testimonijs, qui tum antiquitate, tum sanctitate plurimùm habent uenerationis, hoc ipsum præcepisset? An tam sæpe illud idem repetiuisset, tam crebrò auribus Episcoporum inculcasset, tam grauiter mulctandum esse statuisset, nisi ius diuinum perfringi perspexisset? Iam satietas nos cepit audiendi, quæ non sanè non molestè persæpe uobis obiecta sunt ex Esaiâ, Speculatores cæci omnes nescierunt, uniuersi canes muti non ualentes latrare, uidentes uana, dormientes, & amantes somnia. *Atque ex Hieremiâ,* Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non uisitastis eos, ecce ego uisitabo super uos malitiam studiorum uestrorum, ait Dominus. *Nec non ex Ezechiele,* Hæc dicit Dominus, uæ pastoribus Israelis, qui pascebant semet ipsos. no'nne greges à Pastoribus pascuntur? *Omitto illa ex Ioanne arrepta,* Pasce oues meas. *&* Pastor bonus animam ponit pro ouibus suis. & proprias oues uocat nominatim & educit eas. &, cùm proprias oues emittit, ante eas uadit: & oues illum sequuntur. *Quæ ad uos attinere nunquàm in animum inducere potuistis. Cùm hæc persæpe audierimus, cur non totâ mente complectimur? cur dissi-*

Esa. 56.
Hier. 23.
Ezech. 34.
Ioan. 21.
Ioan. 10.

diſſimulamus? Iam uerò nemo ueſtrûm, Patres optimi, non planè fatetur neceſſarium eſſe reſidendi præceptum. Cùm autem ita comparatum ſit, ut Deus æquè ac natura earum quidem rerum, quæ neceſſariæ ſint, nihil unquàm prætermittat; hoc ſanè in Dominum Deúmque noſtrum cadere non poteſt, ut quod ad gregem ſuum paſcendum neceſſarium eſſet, omiſerit: omiſiſſet uerò, niſi mandatum dediſſet; quo paſtores ad munus ſuum obeundum conſidere cogantur. Niſi putatis, qui neutiquàm errare poteſt, quem quid dicam ſolum ſapientem eſſe, cùm ſapientiæ nomen ſolus obtineat? incuriæ nomine poſſe accuſari. Reſipiſcamus aliquando, patres ampliſſimi, reſipiſcamus, & quæ Deus mandauit libentiſſimo animo teneamus. At eſto; Eccleſia nunquàm hoc nomine id præceperit: num quæ ſuperiores nondum explicauerant, quia cognita ea perſpectáque habebant; ut primùm in hæſitationem adducta ſunt, poſteriores declarare minimè debuerunt? Scilicet errauerunt, qui antehac eodem hoc in loco comitia habuerunt, cùm id decreuiſſent, quo impius Dei munere fiat iuſtus: cùm ea ſtatuiſſent, quæ de diuinis ſint myſterijs tenenda. Erraſtis uos ipſi, cùm de admirabili illo myſterio, ac de ſanctiſſimo ſacrificio; quæ, ut uera, Chriſtiani omnes tenere, atque ſeruare debeant, cenſuiſtis. At de illis quidem rebus erat nobis cum ijs controuerſia, qui à fide uniuerſæ Eccleſiæ defecerunt. Num errauerunt maiores noſtri, qui non pauca, quæ nondum in iudicium uenerant,

Obijcitur.

Refutatur.

uenerant, constituerunt; & uerò de quibus inter se ij dissidebant, qui cùm adhuc summum pastorem sequerentur, nondum ab uniuerso grege aberrauerant: nec in aliquâ hæresi, quam arbiter in omni controuersiâ de re Christianâ maximus reiecisset, uersabantur. Vt enim omittamus Arrianas dissensiones, Sabellianas contentiones, Eunomianas dimicationes, Nestoriana certamina, Eutychiana bella, quanquam earum nulla gentium esse in hæresi aliquâ dicebatur, cùm de his rebus, quas singulæ afferebant, deliberatio esset introducta; antequàm cuiúsque opinio ut impia detestabilísque reiecta fuisset, atque damnata: quid disceptationes illæ, an more Iudæorum circuncîdi, ueterémque legem seruare alienigenas oporteret, qui nomen Christianum inciperent profiteri; an iterum essent ritè abluendi, quos ij, qui à communitate cœtus Christiani recessissent, abluerant; an in pane consecrato, præterquàm quòd in eo esset uerum corpus Domini nostri IESV CHRISTI, *uis quoque ipsa panis cum his, quæ materiam illam sequuntur, relinqueretur: an animus intelligentiæ rationísque particeps corpore humano, ut uehiculo, aut nauigio quodam, uteretur; non esset etiam effectio, quæ illud uti materiam fingeret, atque formaret: nónne inter eos fuerunt, qui eundem Christum Dominum colebant, eandem fidem seruabant, eadem decreta tuebantur, iuris omniúmque rerum communionem habebant? Atqui Ecclesia, utrum uerum esset,*

utrum

utrum teneri oporteret, definiuit. Nam, secùs atque Iudæi contendebant, Apostolicum illud, quod primum fuit, concilium decreuit: secùs ac Cyprianus & conuentus, quem ille de sanctâ lauatione habuit, censuerunt; Cornelius Pontifex Maximus Sacerdotum concilio conuocato, prospexit, ne iterum ablueretur, qui more maiorum ueteríque instituto Ecclesiæ à quouis etiam hæretico ablutus esset: hoc idem deindè Concilium Carthaginense sanciuit. Disceptabant nonnulli, qui Theologiam profitebantur, de mysterio illo sanctissimo, an adeò panis ille sacratus in Christi carnem, uinum in sanguinem mutetur, ut præter speciem exteriorem, prætérque ea, quæ rerum illarum naturam consequuntur, retineat profectò nihil. At Concilium Lateranense illud generale, quod Innocentius III. *conuocauit, uim omnem earum rerum, panis in carnem, uini in sanguinem Domini Deíque nostri conuerti declarauit. Cùm de animo, qui ratione utitur, atque intelligit, Philosophi Christiani ad utranque partem disputarent; Concilium Viennense, quod Clemens V. celebrauit, eum formam esse corporis humani decreuit. Quod multò antè statuerat octaua Synodus œcumenica, quæ fuit postrema Constantinopolitana. cùm enim in homine animam partim unicam, partim geminam ponerent, sacro sancta illa Synodus Christianâ ueritate innixa unicam eam esse, qua ille & intelligat, & uiuat, constituit. Atque cùm fœnerationes alij reijciendas esse, alij ad-*

mittendas

mittendas putarent; illud idem Viennense Concilium eas diuino iure uetitas esse iudicauit. Quid con tentio de unâ eadémque naturâ trium personarum, qua Ioachimus sanctæ religiosæque sodalitatis parens cum Magistro sententiarum certauit? nónne in eodem illo Concilio Lateranensi sublata est, improbatâ quidem ac prorsus reiectâ Ioachimi opinione: ipso autem auctore haud quaquàm damnato: quippe qui omnia, quæ scripserat, Pontificis Maximi iudicio subiecisset? Illud autem uobis, Patres Amplissimi, in primis cauendum prouidendúmque est, ne apud eos, qui ab hoc sanctissimo Concilio præclarum & egregium quiddam postulant, et expectant; nedum apud illos, qui se à nostro cœtu abalienauerunt, opinio, quam Deus auertat, excitetur; si diuini iuris postulata declaratio prætermittatur, non aliam ob caussam prætermitti; nisi quia multùm à cómoditatibus, cupiditatibúsque uestris abhorret. Nam, si ad eas attineret, nihil profectò contentionis fuisset, quin summâ inter uos consensione quàm primùm iure diuino residendum esse statueretis. Cùm enim in scholis diuturna disceptatio fuisset, an qui Apostolicum uiuendi morem seruaturi essent, ijs liceret bona, ut sua, possidere; nec defuissent, qui præfractè affirmarent, nec Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, *quod sibi uel proprium esset, uel cum suis discipulis commune, tenuisse; nec eius deindè Apostolos ne communiter quidem omnes, nedum propriè priuatímque singulos aliquid habuisse;*

habuisse; Ioannes XXII. *dimicationem diremit, amplissimisque uerbis, eorum opinionem, tanquàm sacris literis refragantem falsámque, et in peruersâ hæresi positam damnauit, atque reiecit, qui inficiarentur* CHRISTVM *Dominum, eiúsue Apostolos bona possedisse, iúsque ullum in ea, quæ possidebant, obtinuisse. Nec ius diuinum, quo fundata est sanctiss. sedes Apostolica, quo stabilita, quo illustrata; quo Respub. Christiana constituta, quo amplificata, quo denique seruatur, negligendum esse uobis uidetur. Si quis rogauerit, quamobrem illâ in re, quæ diuinâ scripturâ continentur, libentissimo animo perquisita fuerunt, & explicata: in hac non modò sinuntur ignorari, uerum etiá contemnuntur; inquient, propterea quòd illa sapientissimi optimique Pontificis Maximi constitutio ad commoda nostra spectabat: hæc diuini præcepti declaratio, quá à uobis uehementer non pauci postulant, ea duntaxat, quæ Christi sunt, attingit: nobis licentiam adimit uoluptatibus nostris indulgendi. Quid? efficiétne siue ignoratio, siue dissimulatio hæc nostra; ut, quod sanctissimi uates Dei iussu minantur, minatio diuina ne sit? quod* CHRISTVS *Dominus admonuit, quod præcepit, ne sit admonitio, præceptióque Dei? Qui admonitionem, qui præceptionem, qui minationem illam floccipendunt, supplicium sempiternum ne sint, nisi eos pœniteat, daturi? Nec possum satis mirari esse in hoc amplissimo eruditissimóque conuentu; qui cùm planè affirment iure*

diuino

diuino Episcopo in suâ diœcesi esse residendum, inficientur sanè quidem id expedire, si declaretur. Ego uerò, ut alio loco dilucidè latéque puto me ostendisse, ad sedem Apostolicam ornandam, nedum ad Reip. Christianæ utilitatem, existimo plurimùm ualere. At, si ad nihil aliud, ad hoc certè quidem multùm profecerit: nempe ad eorum salutem curandam, qui in tam fœdo errore uersantur: cùm ijs nihil iuris ignorantia profutura sit, ne quando grauissimam huius inscientiæ pœnam Deo soluant. Ac nobis uerendum est, ne oscitationis, dissimulationísque nostræ mulctam longè grauiorem pendamus: si nostrâ incuriâ nesciri, quod illis ipsis, nobísque sciendum esset, sinamus. An non ad sanctissimorum patrum Concilium, quod ritè conuocatum uniuersam Ecclesiam repræsentat, attinet docere, quæ Deus præcepit, ad quæ de eius præcepto postulantur, respondere, dubitationem euellere, quod uerum est explicare? Considerate, Patres optimi, quam quisque uestrûm in Ecclesiâ suâ personam gerit, eandem in uniuersâ, ac potiùs longè ampliorem uos ipsos ex toto orbe Christianorum in unum cœtum sacrosanctum coactos unà præferre. In suâ quisque Ecclesiâ, quæ Deus mandauit, populũ doceat, oportet; nisi malit se reum esse peccati, quod ignorando ille commiserit. Hoc loco uobis de his, quæ ad salutem spectant, docendi sunt uniuersè Christiani omnes, præsertim qui in errore uertuntur; ac tum maximè, cùm haud quaquàm desint, qui ea, quæ ambigua

gua uidentur, declarari etiam atque etiam petant, & obſecrent; niſi libet, quorum culpam præſtare debetis, inſcitiæ pœnam etiam dare. ſi ad circumſpectanda longè latéque omnia, quaſi in præcelsâ quadam ſpeculâ, uos Deus conſtituit, & ad ſua peruulganda mandata; cur ea uobis diſſimulanda eſſe, ac ſilentio prætermittenda exiſtimatis? Repetite quæſo memoriâ; quæ ſibi præcepiſſe Deum Ezechiel teſtatur: repetite quæſo, inquam, memoriâ, uobíſque mandari tandem intelligite. Hæc enim ille: Fili hominis; ſpeculatorem dedi te in domo Iſraelis. & audies de ore meo uerbum: & annuntiabis eis, ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, ut auertatur à uia ſua impia, & uiuat; ipſe impius in ſua iniquitate morietur: ſanguinem autem eius de manu tua requiram. ſin autem tu annuntiaueris impio, & ille non fuerit conuerſus ab impietate ſua, & à uia ſua impia; ipſe quidem in ſua impietate morietur: tu autem animam tuam liberaſti. Sed & ſi conuerſus iuſtus à iuſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coràm eo; ipſe morietur, quia non annuntiaſti ei: in peccato ſuo morietur: & non erunt in memoria iuſtitiæ eius, quas fecit. ſanguinem uerò eius de manu tua requiram. ſin autem tu annuntiaueris iuſto, ut non peccet: & ille non peccauerit, uiuens uiuet:

Ezech. 3.

uiuet: quia annunciasti, & tu animam tuam liberasti. *Quid, obsecro, planius ad nostram hæsitantiam titubationémque eximendam dici potuisset? Quid accommodatius ad definiendum, quod in controuersia uersatur? Quid præstantius ad animos nostros excitandos; ut aliquando, quod Deus præcepit, explicemus? Nemo enim inficiari potest, Dominum nos in Ecclesia sua speculatores doctorésque posuisse: nemo eundem nobis præcepisse, ut Ecclesiam suam regamus, ut suas oues pascamus, ut de suis mandatis omnes doceamus, etiam qui iusti habentur. tantum abest, ut ille non iusserit, neminem non esse, ne peccet, suo nomine admonendum. Nos autem satis esse arbitramur, si nostro nomine quisque admoneatur. Sed enim animaduertamus necesse est, quod Deus ipse minatur; nimirum nisi, quæ ipse mandauit, denuntiemus, quam iustus, iniustúsue homo iacturam animæ fecerit, se à nobis esse repetiturum? Itaque est & nostræ saluti, & eorum, quibus tantæ ignorationis tenebræ offunduntur, prospiciendum. Id porrò erit, si dissimulatio depelletur, si hæsitatio conuelletur, si opinationis scrupulus adimetur; si inscitia tolletur; si denique, ut breuissimè id omne cōplectar, hoc ipsum, quod uerum est, decernetur. Quamobrem te, sanctissime Antistes, quisquis es, qui Reip. Christianæ diuini iuris declarationem inficiaris expedire; quia monendi locus est; ex hoc loco moneo, uideas etiam atq; etiam, et consideres, quid agas, quô progrediare, quid demum,*

&

et qua ratione defendas. Neque tibi præscribo, quò minùs cum doctissimis amplissimisque patribus, qui, quod tu enixè tutaris, reprehendunt, ingenio, atque doctrinâ, & omni dicendi facultate contendas. At, siquid artificio, consilio, potentiâ, gratiâ, calumniâ, fallacijs illorum, qui fraudulentâ interpetratione postulata nostra peruertere conantur, quasi id, quod sit potestatem sedis Apostolicæ imminuturum, machinemur, moliri cogitas; ut libertatem in Concilio dicendi euertas; eos, qui quod uerum est, quod tibi etiam probatur, quod ipsi uniuersæ rei Christianæ prodesse in primis arbitrantur, pronuntiare non uerentur, deterreas; siqua præterea te spes, uel dignitatis augendæ, uel plus opum adipiscendi ad hoc ipsum impellit, magnoperè censeo desistas; & illa, quæ ab ijs tentata iam, & cœpta sunt, moneo, ut extinguas; & longiùs progredi ne sinas. Magno tuo periculo peccabitur in hoc ipso conuentu maiore, quàm putas. Quòd enim te liberatum existimationis metu, summos honores adeptum, eâ præditum auctoritate, quæ plurimùm apud Pontificem Maximum ualet, cogites: mihi crede, ornamenta ista & beneficia sanctissimæ sedis Apostolicæ non minore negotio retinētur, quàm comparantur. plures tibi esse poterunt exemplo; qui, cùm ad maximarum fastigia dignitatum ascendissent, atque potentiæ plurimùm haberent, eóque se positos loco uiderent, de quo nunquàm dimoueri ac depelli se posse opinarentur: ceciderunt tandem,

adeóque grauiter ceciderunt, ut eorum quidem casus plus miserationis, quàm admirationis attulerit amplitudo. Ac tantò miserabilior hic, grauiórque fuit; quantò plus illa uirum, atque splendoris habere uidebatur. Fuit fortasse necesse aliquando, siquando id fuit, ut Concilia tulerint regiam quandam eorum dominationem in consessu, & in omni re Christianâ, qui in suam sententiam cæteros omneis perducere studerent. Sed postquam Pius IIII. *sapientiss. Ecclesiæ præses uniuersæ, atque ita publicæ salutis amantissimus, ut obseruantissimus Apostolicæ dignitatis, Concilium ad errorem omnem euellẽdum atque ad omnem abusum delendum indixit; illud ritè ac sanctè habendum curauit: nihil aliud, nisi quod uerum sit, ut quæratur, præscripsit: omnia ista, si fortè nondum intelligitis, adepta atque erepta sunt. omnium nunc oculi coniecti sunt hoc ipso tempore in unum quenque nostrûm, qua fide aliorum sententiam reprehendamus, qua religione nostram dicamus, qua ratione hoc, illud defendamus. De omnibus nobis, siquis tantulùm de rectâ regione deflexerit, non illa tacita existimatio, quam fortasse iam pridem contemnere soletis; sed uehemens ac liberum totius Christiani orbis iudicium consequetur. Nam cuique nostrûm perspectum est, quid de hoc ipso Concilio ille expectet. nimirum, ut nostrarum commoditatum obliti, publicæ utilitati consulamus; ad Rem omnem Christianam instaurandam; ad sedem Apostolicam in eam dignitatem, qua maiorum nostrorum memo-*

ria

ria ſplendebat, reſtituendam; ad cupiditates rerum humanarum comprimendas; ad ea, quæ Dei ſunt, quærenda; ad mores denique omnino emendandos toto pectore incumbamus; ad hæc ipſa omnem operam, omnem uigilantiam, omnem laborem conferamus. Neque tibi perſuadeas, uelim, eum latere, bona hæc tam expectata quis interturbet, quis interrumpat, quis intercîdat: neque hoc loco quicquam diſceptari, quòd non, antequàm extra fores pedem educamus, ad aures uulgi euolauerit. Ego uerò mei me rationem officij confido, quibus debebam, perſoluiſſe. At, ſi admonitionem meam tibi negligendam eſſe arbitraris, obſecro te, uideamus, utri plus Pontifici Romano deferant, qui eum non modò à CHRISTO *Domino eſſe inſtitutum, qui ſuus eſſet in cœtu Chriſtianorum uniuerſo Vicarius, ſuum numen obtineret, ſuam uim omnem in terris haberet; uerum etiam iure diuino Eccleſiam omnem arbitratu ſuo gubernare, iure diuino cùm omneis Chriſtianos, tum maximè ipſos Epiſcopos ſub poteſtatem ſuam iuriſdictionémque ſubactos tenere, iure diuino Epiſcopos inſtituere, diœceſes eis tribuere, tributas adimere, ditiones conſtituere, mutare, augere, diminuere fateantur: an qui præterquàm quòd de ſummâ iuriſdictione ac de plenitudine poteſtatis idem affirmant, cætera quidem omnia Eccleſiaſticâ duntaxat lege ut probent eſſe conſtituta, ex eâque omnino pendére contendant? Adeóne ijs lex diuina inuiſa eſt, ut non modò ei nihil in Eccleſiâ regendâ*

loci relinquant, sed ne nomen quidem ipsum audire uelint? Adeóne hi ducibus suis se prudentiores doctiorésque ducunt; ut, cùm illi hæc omnia Dei mandato à Pontifice Maximo administrari profiteantur, hos id ipsum inficiari non pudeat? si diuino præcepto putarent, ut uel ipsi Antesignani nostræ opinionis aduersarij fatentur, eũ cogi Episcopos creare; præfecturas ijs Ecclesiasticas deferre; ut in munere, quod susceperint, obeundo considant, præcipere; eodem item præcepto Episcopis esse parendum; parêre nihil aliud esse, nisi exequi, quod mandatum sit: asserere non esse in diœcesi diuino iure considendum ueriti fuissent. Quomodò, Patres optimi, patientes aures eorum sententiæ præbere potuistis? quorum alios à CHRISTO *Domino petere ueniam non piguit, ut sibi disertè affirmare liceret, se nihil ei debere. quasi ille non suo pretiosissimo sanguine funden do Ecclesiam sibi comparasset; non ad eam regendam Episcopos posuisset; non, quo iure illa esset gubernanda, statuisset, antequàm ab hominum conspectu, ut in cœlum ascenderet, discessisset. Alios non pœnituerit dixisse, Dei præcepto inuidiæ plurimum concitari; cùm Iudæis id lapis fuerit offensionis; quasi Episcopi sint in hæresi Pharisæorum, aut sub lege aliâ quidem ab eâ, quam* CHRISTVS *Dominus Deúsque noster tulit, uiuant Christiani. Alij temerè id effutire non dubitarint, cùm dicerent Episcopos se pluris haberi, quàm Apostolos uelle; propterea quòd non contenti, se à Spiritu sancto ad Ec-*

cleſiam adminiſtrandam eſſe conſtitutos, poſtulent etiam dilucidè explicari ſe à CHRISTO *fuiſſe inſtitutos: qui ad patrem cùm eſſet rediturus, ſuam omnem dimiſit poteſtatem; quippe quam in Pontificem Maximum detuliſſet. quaſi Spiritus ſanctus non ſit ſpiritus Chriſti; aut quos conſtituit Spiritus ſanctus, eorum à* CHRISTO *conſtituatur nemo; aut cùm Pōtifici Maximo ſuam detulit poteſtatem, ius ille ſuum uimque omnem depoſuerit; aut non ſtet promiſſis, quæ animo libentiſſimo fecerit. quippe pollicitus eſt perpetuò ſe eſſe in Eccleſiâ ſuâ, donec omnia ſecula finem habeant, aſſeſſurum. Nóſne igitur ſedis Apoſtolicæ imminuimus maieſtatem; qui, ut diuino illam iure aſſerimus fundatam eſſe, & communitam, ita etiam ſeruari ac regi; eodem, tanquàm firmo ſtabilique ſolio innixam, uniuerſo terrarum orbi præſidere, edictis Reges, principéſque terrere, rem omnem gubernare, Epiſcopos ad gubernationis ditioniſque partem adſciſcere? an qui humanâ lege agi hæc omnia nituntur? Ius enim diuinum æternum eſt, non marmoreis inſcriptum columnis, ſed ijs, quæ ſint quouis adamante, aut ſiquid aliud durius eſt, longè ſolidiores; atque ita auguſtum ac uerendum, ut neque in terris poteſtas ulla ſit, neque in cælo, à qua non formidetur. Humanum uerò, præterquàm quòd ſuapte ui mutari poteſt, et abrogari; niſi Dei præcepto niteretur, non deeſſet, à quo contemneretur. Quæ Regum potentia Eccleſiaſticis parère decretis deliberaret, niſi ijs diuinum*

dam contineri existimaret? Neque illud urget, quòd ij persæpe iactare solent; Qui uos audit, me audit: qui uos spernit, me spernit. *Addant quam obrem* CHRISTVM *audiat, qui Pontificem audit;* CHRISTVM *contemnat, qui Pontificem contemnit. An non, quia Dei præceptum annuntiat, à Deo se mandatum habere affirmat, Dei nomine se mandare, non suo, profitetur; Dei se personam gerere apertè ostendit? Id sanè me ipse Dominus docuit: qui Deus cùm esset, quia tamen hominis formam induerat, Pontificémque agebat, se patris mandatum exequi asserebat, se à patre, quæ ipse dicebat, accepisse. quapropter uerè asserebat, qui se contemnebat, ab eo patrem contemni. At sanctissimos nostrorum temporum Antistites piget fateri, à Deo se præceptum habere: eius auctoritate ac ui ualere ad præcipiendum; ut meritò dicant sperni Deum, à quo ipsi spernantur. Non sic Apostoli illi Ecclesiæ principes, quorum in locum ij se successisse gloriantur. nempe nihil mirandum efficiebant, nihil sanctum religiosúmque instituebant, nihil denique omnino præcipiebant, quod ad Domini auctoritatem non referrent, quòd à Domino se accepisse non affirmarent, quod à Domino mandatum se habere non palàm declararent. Siquid ipsi, quod Deus non expreßè mandasset, docerent; commonefaciebant, quos alloquebantur, ut se illud, non Dominum dicere intelligerent. Hos etiam atque etiam obtestor, atque obsecro, ut uideant, ne ijs, qui cœtum omnem hunc*

nostrum

nostrum calumniis oppugnant, maledictis lacerant, conuiciis conscindunt; dent occasionem ad nos uehementiùs insectandos, ad illud elogium, quod contra nos crebrò repetunt, in nos liberiùs intorquendum: Dei præceptum nos irritum fecisse, ut nostras institutiones tueamur; diuina mandata negligere, ut magni nostra faciamus. Nósne ergo, inquam, nos de summi Pontificis potestate quicquam derogamus, qui hoc unum maximè studemus; eam, ut est uerè, augustam atque diuinam uideri? an qui Regiam esse cupiunt, regiâque uti dominatione; quæ cùm humanâ sit, nihil quidem est; quod sibi licere non putet: Deus autem, cuius instar ille habet, etsi omnium rerum præpotens est, non tamen omnia, ut Theologi docent, sibi licere uoluit? Nósne aliquid de amplitudine Apostolici præsidis detrahimus, qui pristinum ei splendorem, quo nihil unquàm uenerationis plus habuit, ut quod de amplissimâ ditione amisit, recipiat, reddere conamur? an qui, quod reliquum est, auferre nituntur: cùm eius omnia studia, omnésque cogitationes ad rerum humanarum commoditates conferri uelint? Nósne de Ecclesiâ Romanâ nefariè aliquid molimur, aut quod meritò reprehendi possit, cogitamus; qui eam non modò incolumem seruatámque uolumus, sed & qualem Deus pater, ut sibi filius exibeat, optat, pulcherrimam, castissimam, summâ dignitate præditam, ab omni labe alienam, sine ullo mendo, omni laude cumulatam, omni denique sanctitate expletam? an Eph. v.

qui,

qui, siquis in ea sit abusus, non solùm retinere nituntur, uerùm etiam augere? Nósne uim Præsidis Maximi euertimus, qui iuri diuino plurimùm tribuere uidemur; cùm, ut declaretur eo iure in suâ diœcesi Episcopo esse residendum, postulamus; ut, quo iure id præcipitur, eodem obstringi disertis uerbis decernatur; ut, quo nititur Apostolica potestas, eodem uti intelligatur? an qui ius diuinum ita aspernantur; ut pars illepidum & insulsum, pars etiam frigidum audeant appellare; pars multum offensionis habere ne uereantur quidem affirmare: qui uerò modestiùs loquuntur, asserant non esse quidem dubitandum, quin Dei mandato in munere nostro obeũdo residere cogamur; sed eius declarationem nihil esse utilitatis allaturam? Quid enim profuit, inquiunt, fuisse Concilio Viennensi declaratum usuram diuino præcepto prohiberi? num desierunt Christiani posthac fœnerari? an non maiore in dies licentiâ, qui mercaturam exercent, ad fœnerandas, diripiendásque prouincias incumbunt? At, obsecro, animaduertant, quomodò ius diuinum esse possit, quale ipsi fingunt. Num illepidum insulsúmque esse potest, nihílque quod gustatum delectet, habere Dei præceptum, quo se Regius uates admodum lætari, quod sibi iucundum esse, quod dulcius melle, Ps. 118. Ps. 18. *quod uitam afferre decantauit? Num frigere, quod ille ardere plurimùm, igneúmque esse disertè affirmauit, CHRISTVS Dominus etiam ignem appellauit? An non humanam gloriolam, opésque terrenas*

renas quærentibus ſaporis expers putidúmque eſt: ad ſempiternam gloriam, atque ad cæleſtes diuitias contendentibus id iucundum, atque optatum; quod ille idem uates ſe multò plus, quàm omne aurum atque topatium optare atque diligere, quo ſe uehementer oblectari fatebatur? An moleſtum cuiquam erit, quòd, qui diligunt, eos ille ipſe multâ eſſe in pace, nullâ in offenſâ teſtatur? An nihil attulerit commoditatis, quod ab eodem auctore dicitur, lex Domini maculæ omnino expers, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, quod qui ſeruat, multa bona conſequitur? Si omnia Dei mandata uera ſunt, ac potiùs illo eodem teſte unumquodque eorum ipſa ueritas eſt; uerum autem idem eſt, quod bonum: quem in modum ex ipſo uero, quod commodum non ſit, oriri poteſt? Si Deus id, quod quærimus, præcipit; undè fit, ut commodi nihil habeat? an quod Deus mandat, inutile & uanum eſt? niſi ab utili, quod honeſtum ſit, ſeparandum cenſetis (nihil enim, quod honeſtum non ſit, Deus unquàm præcepit) atque Stoicos Philoſophos, qui Deum ignorabant, plùs, quàm Chriſtianos, quibus diuina oracula non latent, honeſtatem colere ac reuereri. Illi, quod honeſtum non eſſet, nihil eſſe utile ducebant: uos utilitatis plurimum poſſe habere, quod ab honeſtate abhorreat, putatis? At non omne uerum explicandum eſt. multa myſteria ſacrarum literarum abditis penetralibúſque Obiicitur.

que

que latebris reconduntur, quæ prodire in apertum non sinuntur: cùm ea uulgus capere non possit. multa in Gymnasijs ad utranque partem disceptantur, quæ non iubet Ecclesia decerni. Solertes illas ac subtiles de personis diuinis disceptationes ad aures uulgi peruenire nefas est. quæ prudenter & acutè admodùm de prænotione illâ atque præsensione rerum futurarũ, quà Deus præditus est: quæ de sempiternâ illâ rerum ueritate, quam Deus ipse constituit, ac designauit, mentéque suâ inclusam habet; dum alij Augustinum, alij Chrysostomum sequuntur, Theologi disserunt: quæ de illo sanctissimo, eodémque mirabili conceptu, ex quo Dei mater orta est; nondum sita sunt declarari. De his rebus nihil profectò est, ut concertemus. concedimus id genus eas existere, ut disputari magis debeant, quam explicatè definiri. At longè alia ratio rei, quæ nunc agitur, atque illorum disputationum est. Hæc ad salutem nostram spectat: illæ propriè nihil ad nos, extráque adeò ponuntur, ut perquirendæ non sint. Hæc in præceptis, quæ ignorari non debent, recensetur: illæ in mysterijs, quæ sensum mentis humanæ fugiant. Huius cognitionem exactam peatermittere, hominis esset negligentis; &, quod suum est, omnino omittentis: illas subtiliter inuestigare, curiosi; & nimium, quod est præter suum negotium, agentis. Sed cur, ut illa credenda atque tenenda Ecclesia proponit, proptereà quòd eorum fides ad hominum salutem attineat; in quibus exquisitæ & acutæ Theo

Refutatur.

logorum

logorum quæstiones uersantur: non item admonemur apertis uerbis, ut hoc persuasum perspectúmque habeamus, omni disserendi subtilitate prætermissâ: cùm sine dubio, qui id ipsum uel dissimulant, uel ignorant, magnum sibi periculum facessant? Credimus sine ullâ hæsitatione, & disertè affirmamus treis diuinas esse personas, Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum: et, cùm Deus unaquæque illarum sit, unum quidem certè esse Deum: qui, ut omnia, quæ sunt, creauit, ac fecit; sic omnia, quæ futura erant, quæ sunt adhuc futura, præsensit; omnia prouidit, præfiniuit, in animo consignauit: conceptionem illam ex qua beatissima cœli Regina edita est, mirandam in primis extitisse: eam ipsam, quæ Dei mater est, nullâ peccati labe aspersam fuisse. Credamus item, disertísque uerbis fateamur Dei præcepto Episcopos ad præstanda per se suæ quęque Ecclesiæ munia sua compelli. Iam uerò; quas dixi abstrusiores disputationes, dissidentium sunt inter se scholarum; quæ doctissimè & acutissimè in Theologiæ studijs uertuntur: inter uos hac de re nullam animaduerti esse dissessionem. Omnes æque affirmatis Deum Episcopis mandasse: ut, quam quisque Ecclesiam suscepisset, in eâ regendâ consideret. Vos alloquor; quibus cum mihi est hæc disceptatio. quotus quisque est, qui, quam ipse sequitur opinionem, quam probat sententiam, quod ipsemet sentit, nolit apertè declarari? Nec uerò assentimur declaratione diuini præcepti, quo fœneratores

damnantur,

damnantur, quò minùs fœnori detur, nihil profuiſſe. multi enim à fœneratione abſtinuerunt; ubi, quò ſcelere urgerentur, intellexerunt. multi prætereà pecuniam in quæſtum transferrent, fœnorique darent, ſi iam peccare ſe neſcirent. Sed eſto diuini mandati explicatio nihil proficiat: num Deus legem, cùm ſeruandam non eſſe prouideret, ferre non debebat? num errauit, cùm eam, etſi proſpexit non eſſe profuturam, latere tamen noluerit? Si lex bona per ſe eſt, num eius explanatio per ſe mala erit?

Rom. 7. *Nam Paulus deteſtatur, qui dicerent, quod bonum eſt, nobis mortem afferre. neque enim, quod accidit, efficiet, ut ne commodum eſſe ducatur, quod per ſe bonum ſit. quippe in his, quæ rebus accidunt, recenſetur, ut legis cognitione peccatum augeatur. quandoquidem qui legem tulit, omne conſilium ſuũ ad id conferebat, ut, ubi norimus, quod ſit malum, uitemus; quod bonum, conſectemur. An Deus præceptum dedit, ut illud ignoremus? nonne potiùs, ut cognitum habeamus, omníque ſtudio atque labore exequamur? Quid ſi Concilio Viennenſi, quod de fœneratione quæſitum eſt, non eſſet definitum? nónne cum ſapientiſſimo illo Pontifice Maximo Clemente V., qui Synodo præerat, tot patres ſanctiſſimi, qui aderant, peccaſſent; pœnámque ignorationis, quæ fœnerantium animis quaſi caligo quædam offundebatur, dediſſent? cùm eos non fugeret, quod ampliſſimis uerbis Deus edixerat: nempe ut, quod ipſe præcepiſſet, illi denuntiarent. Si denuntiarent*

ipſi

ipsi quidem, quibus autem denuntiaretur, non seruarent; fore, ut ij pereant, ipsi liberi essent. Sin minùs; utrosque perituros; illos, qui cùm Dei præceptum non accepissent, peccabant: ipsos, qui cùm minùs denuntiassent, sceleris, quod illi ignorando patrarent, mulctam essent soluturi. Quamobrem illa iuris diuini declaratio, si quibus prædicatur, cùm peccare pergant, non prodest: at quidem certè non est, quin ijs, qui declarauerint, multùm proficiat. Neque audiendi sunt, qui nos falsò insimulant esse in tot sanctissimorum patrum concilia, atque in tot beatissimorum Pontificum Romanorum decreta quodammodò contumeliosos: quasi illos in eo accusemus, quod ignorârint hoc præceptum iure diuino contineri; cùm id silentio prætermisisse uideantur. Quid actum agunt? an non planissimè ostendimus, hoc illis adeò perspectum fuisse; ut, quò diligentiùs Dei mandatum seruaretur, coacti sint tam sæpe eâdem de re decernere, mulctâsque constituere? nec ambigendum est, siquis de iure dubitasset, quin amplissimis uerbis explanassent. Nunc autem, nitimur esse declarandum: cùm in dubium, quod ætate illorum minimè controuersum erat, uocetur eorum contentione, quos non piget inficiari Dei præcepto Episcopos cogi in suâ quenque diœcesi considere. Quamobrem; cùm acerrimè, quod uerum est, impugnetur; aut certè, quod complures uerum esse affirmant, & pro comperto habent; cùm multos iam menses sit disceptatum, & adhuc disceptetur, Objicitur. Refutatur.

nec

nec unquàm disceptandi finis fore uideatur: cùm eâ de re, qui scripserunt, ne conuicijs quidem abstineant ad eos exagitandos, qui ius diuinum asserebant: meritò petimus esse id omne definiendum, ac nefas esse arbitramur sacro sancto Concilio non more maiorum dubitationem eximere.
Obijcitur. At instare nobis non desinunt, quasi diuini præcepti declaratione damnari sanctissimos illos prudentissimósque Pontifices Maximos uelimus, qui rem eam secùs dispensauerunt, quíque essent posthac etiam dispensaturi, ac si lege pontificiâ, non etiam diuinâ teneretur: ex quo Lutheranis occasionem daremus Romanam Ecclesiam, quam Diaboli Synagogam appellare non uerentur, liberiùs insectandi, quasi ad hunc usque diem, quod à Deo mandatum habet, nescierit.
Refutatur. Ego uerò Patres optimi, existimo nec unquàm præsides illos sapientissimos, quod Deus præcepit, latuisse, nec, quod ille prohibuisset, concessisse. Quod aliquando concesserunt, ratione ad concedendum fuisse adductos, qua præ se ferebant se declarare, diuino id præcepto non refragari; etsi ius Pontificium infringere uidebatur. An Innocentius ille III. diuinarum literarum peritissimus, diuinum mandatum ignorabat; qui uni ex amplis. Romanæ Ecclesiæ collegio Rauennatem Ecclesiam petenti; cùm in eâ regendâ residere non posset, denegauit?
Obijcitur. At, cùm ille idem cauisset, ne quis plures parochias obtineret, quando consultis maiorum id omnino uetitum erat, uiros quidem tum claro loco natos,

natos, tum eruditos uisus est excepisse: quibus eâ liberalitate indulsit, ut unâ Ecclesiâ possent non esse contenti. Sed caue, arbitrere Pontificem sanctissimum, iurísque diuini obseruantissimum eas illis Ecclesias deferendas esse uoluisse, quæ adeò inter se distarent, ut eas per se regere nequirent. Id sanè Deus mandauit, ut, quam quisque Ecclesiam susciperet, ei per se, quæ officia ipse constituit, præstaret. Si uel parochiæ uel diœceses uicinæ sint, in quibus possit Antistes obire munia constituta: qui eas sedis Apostolicæ auctoritate præditus deferat, Dei præceptum non perfringat; etsi mandato Ecclesiastico, quo absolutè cautum erat, ne quis plures Ecclesiasticas præfecturas sumeret, refragatur. Ei refragandi potestatem, ubi expedierit, quis negat Pontificem Romanum habere? At Innocentiani sententiam decreti non ita interpretati sunt summi Pontifices, cùm eas uni parochias tribuerunt, inter quas multæ regiones interessent. An tribuerint, compertum non habeo: sed cùm homines essent, errare potuissent; &, qui tribuissent, suâ fuissent abusi potestate? Ad tollendum abusum, atque ad prospiciendum, ne quid erroris inscientiâ diuini iuris, committatur; asseueramus sacro sancto Concilio, Dei præceptum esse, disertè denuntiandum. Quas ob causas Concilium conuocatum est, nisi ut abusum omnem depellat, omnem errorem euellat; quicquid offensum est, emendet? Id Reges, id Principes, id gentes nationésque omnes flagitant, rogant, clamant; id causæ fuit,

Refutatur. Obijcitur. Refutatur.

L ut

ut profligatissimi perditissimique homines nacti, quam appetebant, occasionem perbacchandi, tot seditiones, tot dissidia, tot denique sectas tumultuosissimè trans alpes in cœtu Christiano excitârint: Unde horrifica & nefaria bella exarserunt; quæ urbium direptiones, agrorum uastationes, pecoris cædem, hominum internecionem, templorum euersiones, religiosorum locorum oppressiones, sacrorum bonorum depopulationes, sanctarum sodalitatum depulsiones, uirginum raptum, casti pudoris labem, quid multa? omnium generum excisiones, incendia, rapinas attulêrunt. Quis talia fando temperet à lachrymis? sed quò grauiora hæc sunt, eò magis uobis nitendum est, ut, quod ad tot mala inferenda occasionem dedit, adimatur; quò faciliùs ea non modò longiùs progredi desinant, uerùm etiam repressa omnino conquiescant. sic et Ecclesiæ tranquillitati, & rerum Christianarum saluti optimè consultum erit. Paulus ille, quem princeps Apostolorum ad arcem uniuersæ Ecclesiæ fundandam socium à CHRISTO *Domino accepit; ne quem offenderet, sibi ad uescendum perpetuò carnem interdixisset: nos, qui tantum in nos offensæ, tantum inuidiæ, tantum odij in omni cœtu Christiano concitauit, pergimus abusum retinere? sed quæro ab ijs, qui & Dei mandato in suâ cuique Ecclesiâ residendum esse assentiuntur, & Pontifici Romano, ut quisque resideat, prospiciendum; num putent, si minùs hoc ipso, aut quouis alio id declaretur Concilio,*

lio, non eodem iure cogi nos in munere nostro obeundo confidere; illum, ut confideamus, prouidere? Quapropter nos nostra conscientia, ipsáque ueritas, non iuris explicatio conuincere, atque ad Deo parendum compellere deberet. Verùm enim hoc postulamus, ad errorem ex animis eorum euellendum; qui uel ignorant, uel disertissimè contradicunt; cùm aduersariam opinionem sequantur, explicari. Atqui metuendum est, ne causæ nostræ iniquos iudices nos ipsos præbeamus. quippe diuini iuris de residendo explanatio nobis adeò non æqua est; ut nemini unquàm ab Ecclesiâ suâ discedere fas esset. Quam ob rem non Reip. causâ, non uniuersæ Ecclesiæ, non propriæ, non nullâ necessitate abesse; ne uocatis quidē ad summum ire Pontificem nobis liceret. Quin et iusiurandum uiolandum esset; quo cogimur uisere quotannis templum eorum, qui sanguine suo Romam Christianā pepererunt, ad Concilia indicta proficisci, mandatis Pontificis Maximi parēre. Cur hoc tantoperè uerendum est? si Dei præceptum ita Episcopos urgeret, ut isti simulant (non ita animo sentiunt, sed simulatione id moliuntur, quo studeant postulationi nostræ obsistere) etiam si nunquàm denuntiaretur, fas esset cuiquam à suâ diœcesi abscedere? Qui diuinum hoc mandatum esse confitentur, num sibi indulgere possunt, ut illud secùs, atque ipsi conscientiæ suæ iudicio sibi fingunt, ac formant, exequi liceat? At non usque adeò iuris diuini uinculis colligamur, ut quasi Promethei, quod est in fabulis Poetarum,

Refutatur tacitè obiectum.

Obijcitur.

Refutatur.

ad iuga Caucasi arctissimis deuincti nodis, atque constricti perpetuò teneamur. Multæ planè sunt causæ, quibus ex eâ colligatione laxari aliquid possit. illas Concilium ipsum habet, aut Pontifex Maximus declarare. Quid ad simulatam illam admonitionem respondendum, ne cum Lutheranis, qui iure Ecclesiastico reiecto, quæ seruanda sunt, omnia Diuino conniti uolunt, sentire uideamur? Vtinam illi ius Diuinum, prout Ecclesia interpretatur; non, ut sibi ipsi fingunt, intelligerent. non esset utique illis nobíscum ullâ de re dimicatio. Nos Ecclesiæ sententiam nullâ non in re sequimur, eius iura toto pectore amplexamur, decreta tanquàm Spiritu sancto afflânte perscripta, tenenda nobis censemus. Eam columnam esse fidei profitemur, ducem uitæ Christianæ, magistram ueræ doctrinæ, interpretem diuini iuris, explicatricem oraculorum, expultricem errorum, lucem ueritatis: arcam illam, qua qui se condunt, seruantur; extra quam nihil salutis reperitur, nec cauere potest quisquam, quin eluuione obruatur: nauigium illud, quo tuti mare uastum et scopulosum uentísque agitatum traijcimur; sine quo nemo in aliquam cœli regionem se traijcit: amplum rete illud piscatorium in mare iactum, quo qui non includuntur, in Regno cœlesti non collocantur: uineam illam, in qua qui palmites arescunt, excidantur oportet, atque in ignem conijciantur: ouile illud, à quo qui aberrant, pereant necesse est: si quid in controuersiâ uersatur, ad eam esse confugiendum;

ab

ab eâ petendum, ut dubitationem eripiat, ut uerum definiat. Id ab eâ nos in præſentiâ poſcimus, id rogamus. Concilium ritè indictum, Eccleſiam ipſam repræſentat. Hoc etiam atque etiam oramus atque obſecramus; ut, quam iuri diuino ambiguitatem noſtræ opinionis aduerſarij offuderunt, amoueat, errorem expellat, ueritatem explanet. Huic præſident, nomine Pôtificis Max. illuſtriſſimi et ampliſs. Legati: interſunt tot ſanctiſs. Patres, quot uix unquàm Patrum memoriâ in altero interfuerunt, ipsique cùm in omni rerum ſcientiâ, tum in literarum diuinarum perſpicientiâ maximi. ſi uoluntas adſit ueri perquirendi, nihil ſanè deſit. ea deeſſe non deberet. At caueant iſti admonitores; ne, dum à littore iuris Diuini recedunt, ita in Eccleſiaſtici ſinum ingrediantur, ut imprudentes incidant in eoſdem erroris ſcopulos, ad quos afflicta eſt eorum nauis, qui ius Diuinum ſequuntur, ut Eccleſiaſticum omnino fugiant. Illi nullo iure Diuino fundari, aut regi Eccleſiam Romanam contendunt: ſolo Eccleſiaſtico inniti, eodémque gubernari. Videant iſti, ne idem aſſerere uideantur, dum neque Epiſcopos eſſe à CHRITO *inſtitutos nituntur, neque uim ullam habere Eccleſiæ regendæ, neque ad ei præſtanda per ſe officia diuino præcepto compelli, neque Deo quicquam debere, ut eius lege teneantur. Quidnam hoc aliud eſt, quàm Epiſcopos poteſtate diuinitùs datâ exuere; &, quo illi ſolent nomine, appellare? Nempe ſatellites hominis, non Dei; mi-*

nistros humanæ, non diuinæ uoluptatis. si se ipsos negligunt, ne despiciant, quam gerunt Episcopiam personam. At erroris damnandi non sunt doctissimi sanctissimíque Antistites, qui contra hanc sententiam scripserunt. An rerum diuinarum periti, an aliquâ præditi fuerint sanctitate, ipsi qui laudant, uiderint. Illud persuasum habeo, qui Dei præceptum hoc esse tradiderunt, longè doctiores, sanctiorésque extitisse: nec dubitandum esse, quin & sanctitatis & scientiæ plus habuerint ueteres illi Pontifices, Augustinus Ecclesiæ columen, & qui in septimâ Oecumenicâ Synodo interfuerunt: cùm Adriani Pontificis Romani legati ei præessent. Ille nihil omnino, nisi Deum, corpore non cingi, & sub aspectum non cadere, non semel dixit, Platonicos secutus; qui censebant corporeum & aspectabile omne id esse, quod natum esset; cœlestésque animos; quos Dei nuntios, administrósque appellamus, nedum humanos, corpore induebat. Hoc idem Synodus illa sensit atque probauit. At Concilium Lateranense Innocentio III. præsidente, cùm hanc opinionem improbaret, statuit omnia, quæ Deus creauit; partim corporeâ, concretâque naturâ; partim spirabili corporisque alienâ, quam Angelicam appellauit; partim utrâque, nimirum corpore & spiritu, quam humanam uocauit, contineri. Hæc sunt, quæ ab istis obijciuntur, qui iuris diuini explicationem impugnant; nisi quæ mihi fortè exciderunt. quàm facilè ueréque refutentur, puto me dilucidè ostendis-

Obijcitur.

Refutatur.

ſe. Quamobrem quod à Deo mandatum habemus, non modò arbitramur diſertis uerbis eſſe denuntiandum, ſed & hoc ipſum uehementer poſtulamus: ne, ſi minùs denuntietur, cùm iam fama paſſim toto terrarum orbe peruulgatum ſit, id cœptum iam pridem agi, iamdiu Concilio hoc pertractari; in offenſionem omnium gentium nationúmque incurramus. Id omnes expectant, ut intelligant, quàm ſancti, quàm iuſti ueritatis iudices futuri ſimus; quàm acre, quàm ſyncerum, quàm ab omni animi perturbatione remotum in nos iudicium daturi: ne Regibus Principibúſque occaſio præbeatur Epiſcopos ad ſe uocandi, in aulâ retinendi, Regiarum rerum adminiſtrationem ijs deferendi, eorum operâ ubi, & quandiu libuerit, utendi; cùm eis non conſtet diuino id iure prohiberi: ne in eâdem ambiguitate, in quam res adducta eſt, reſideat: ne, quod tam diuturnâ diſceptatione agitatum eſt, in quo diſceptando tot menſes conſumpti ſunt, id ambiguum incertúmque relinquatur. Turpe eſt quod ad diſceptandum propoſueris, quod diu diſceptaueris, non aliquando definire: ne ueritas odio nobis eſſe uideatur: ne, quod Deus uulgatum denuntiatúmque uelit, id latêre nos uelle præ nobis feramus. Quod ille præcepit, tantùm abeſt, ut eius diſſimulationem unquàm probârit; ut, qui uel diſſimulauerit, uel ſiuerit ignorari, in eum grauiſſimè animaduerterit, ac ne ignoranti quidem pepercerit. Eccleſiaſticum præceptum ad hæc uſque tempora Peroratio

perſpectum eſt, nihil omnino profuiſſe, ut in ſuâ quiſque tandem diœceſi conſideret. Cùm eâ non ſucceſſerit, quod Eccleſia moliebatur, aliâ aggrediamur uiâ: nempe Diuini mandati declaratione: qua, quod optamus, ſi conſequemur, & Reip. Chriſtianæ, & cuiuſque ſaluti multùm ac bene proſpectum erit: ſin minùs, id ſaltem commodi euenerit, ut nobis, quod alij offenderint, non utique pœna ulla ſit pendenda.

ANTO-

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI, EPISCOPI VXENTINI,

De officijs Ecclesiæ præstandis;

TRIDENTINA V.



ACTENVS mihi, Patres amplissimi, cum ijs fuit contentio, qui de Residendo Dei præceptú admittunt, ac probant illud quidem, sed negant esse declarandum. Nunc aggrediar ad eá dimicationem, quæ mihi cum illis relicta est, qui eâ in re ius diuinum se nullo prorsus modo agnoscere clarâ editâque uoce profitentur. Quare ad uos me conuerto, qui, quod nos libentissimo animo amplectimur, omnino reijciendum putatis. Enimuerò, Antistites optimi, ac summâ reuerentiâ uenerandi, nulla uobis cognatio est, nulla necessitudo cum ijs, qui, ut Caietanum insectentur, in diuinum ius inuehuntur, & ueritatem aspernantur: quibus excusationibus homines nimium in contradicendo studium suum defendere consueuerunt, earum uos habere in illis nullam potestis. Quæ illi ipsi scripserunt, cùm permulti sibi probari dictitent uestrâ auctoritate, se paratos esse ad defendendum uestrâ

strâ fiduciâ: ea ne uera putentur, uobis maximè est prouidendum. At, si adhuc in eâdem pertinaciâ uobis perseuerandum esse in animum induxistis, agite nunc, proferte in medium argumenta, quibus opinionis uestræ duces aduersus eruditiß. illum atque sanctissimum Antistitem aciem instruxerunt; cuius partium esse debuissent: cùm eius sodalitatis ceremoniam & religionem, eius scholæ doctrinam, quam ille illustrauit, profiterentur. Vtinam ij uiri cæteróqui perdocti, mirâque præditi sanctitate, atque optimè de re Christianâ meriti, ut in maledicendo prompti, acrésque fuere, ita fuissent in scribendo prudentes, & considerati. Neque enim oculis uestris, ad uerum occultandum, præstigias offudissent; neque Caietanum illum, quo nihil doctius, nihil ueneratione dignius, nihil denique sanctius, ne aliquot quidem seculorum, quæ antè floruerunt, nedum nostrorum temporum memoriâ, cognitum est, maledictis conscidissent. Equidem, qui ex urbe Ausoniæ uetustissimâ, qua Lyris amnis notissimus ad mare Tyrrhenum perlabitur, oriundus sum; quæ postquàm fuit ab Agarenis euersa, in Caietanâ diœcesi posita est; de amplissimo illo Antistite possum id uerè testificari, eam curam, eámque diligentiam in Ecclesiâ illâ regendâ ipsum adhibuisse, ut legem quandam ac regulam præclaram dederit pecoris pascendi, quam pastores, qui boni esse uelint, sequi deberent. Verùm, agite nunc, proferte, quæ contradicendi studio ducti illi opposuerunt: ut quàm futilia

lia uanáque sint, ne dicam fallacia & captiosa, ui deatis. Nam in cohorte quasi primipilos hastatos, qui sibi Achilles atque Vlysses, alter animi, corporisque uiribus, alter ingenij solertiâ, atque consi lio cæteris omnibus præstantiores, uidebantur, Caietano obiecerunt: cùm dicerent, tum non reperiri locum in diuinâ scripturâ, ex quo sumere possimus Episcopo in suâ præfecturâ esse residendũ; at Concilijs Patrum, consultisque summorum Pontificum id esse cautum, atque prospectum, qui eum non residentem uituperant, non quòd ius diuinum perfringat, sed quòd Ecclesiastica instituta perrumpat: tum iure diuino haud quaquàm comprehendi, quod suapte naturâ mutari, uariaríque potest; sed ab Ecclesiâ definiri. Constat enim erratorum confessionem à Deo quidem fuisse edictam: quem autem ea in modum, quo tempore, cui Sacerdoti confiteri oporteret, Pontificem Maximum præscripsisse. At residendi modus quin uarietatis mutationísque permultum habeat, dubitat profectò nemo. Quare in ius Pontificium, non etiam in Diuinum conijciatur, necesse erit. Si Achilles, qui omne Troianis propugnaculum ademit, cùm Hectorẽ interfecisset; atq; Vlysses, qui Troiam euertit, cùm machinam ad eam capiendam inuenisset; eâdẽ ui hostes adorti fuissent, qua hi primipili Caietanum aggrediuntur; nunquàm sanè de Phrigiâ Græcia triũphasset. Ac certè, si uerus alter Achilles, uerus alter Vlysses existerent; timendũ nobis esset, ne cum hoc nostro prudentissimo fortissimóque præfecto cadere-

Obiecta.

Responsio.

caderemus. At, cùm Patroclus, ut Achillis speciem ad Troianos perterrendos præferret, qui Græcorum Regi iratus in prælium prodire omnino recusabat, à fortissimo Heroe uix tandem, ut eius curru, armísque uteretur, impetrasset; ab Hectore, qui cum congredi non dubitauit, occisus est. Falsum uerò Vlyssem Aiax Telamonius facilè interemit: cùm arietem gregis ducem per insaniam occidisset, in quo eum sibi Minerua repræsentabat. Abhorrent enim, abhorrent à uero, Patres Amplissimi, etsi speciem quandam ueri ad decipiendum habent, quæ nescio quo errore ducti uiri illi eruditi admodùm, & religiosi obiecerunt. Quàm nullâ difficultate, nullóque labore non modò in fugam uerti possint, uerùm etiam absumi, audite.

Refutãtur. *Nam planissimè accepistis ex diuinis oraculis, quæ Episcopum ad residendum compellunt. Quanquam enim nõ proprijs perspicuísque uerbis hæc explicantur: at certè ijs, quæ idem ualent, significantur. Sed inquient, Antesignani nostri, quæ uos ex sacratiss. scriptura producitis, aliter intelligunt. Quid tum? num accusatores testimonium in iudicio ferre possunt? num si ferunt, fides ijs adhibenda est? Nos autem multorum, eorúmque sanctissimorum ac doctissimorum diuini iuris interpretum, qui, ut aiunt, extra omnem aleam positi sunt, locupletissimo utimur testimonio. quippe Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, quatuor Christianæ doctrinæ stabiles columnæ, Origenes, Cyprianus, Basilius, Nazianzenus, Nisenus, Chrysostomus, Athanasius, Beda, Bernardus,*

nardus, omnes fermè & Græci & Latini nominis Eccleſiaſtici ſcriptores; ipſi prætereà uniuerſæ Eccleſiæ præſides Euariſtus, Caliſtus, Liberius, Damaſus, Nicolaus, qui magnâ ex parte ius Pontificium condiderunt, eam Domini fuiſſe ſententiam teſtificantur. Signiferi ueſtri ſecùs ſentiunt. Quibus fidei plus habendum eſt? Quod autem Eccleſiaſticâ lege prouiſum planè ſit, ut Epiſcopus in diœceſi reſideat, non eſt quod iure diuino minùs urgeatur. Immò uerò, cùm illud Eccleſia, ut poſitum, ac planè ita approbatum, de quo nemo dubitaret, haberet; non eſſe repetendum, atque inculcandum arbitrabatur: ſed, quod eâ de re ſtatuebat, ad hoc annitebatur. Cùm enim id uideret neglectum eò, quòd homines terrena commoda magis, quàm cœleſtia diligerent; priuata, quàm publica; tenebras, quàm lucem; ſe ipſos, quàm Deum; atque eâ de causâ intelligeret eos in metu ponere magis præſens incommodum, rerúmque terreſtrium detrimentum, quàm ſupplicium ſempiternum; ac diuinæ gratiæ, quam non modò retinere, ſed augere etiam deberent, iacturam: pœnas, quas illi ipſi inter homines ſoluerent, minabatur, ac rerum earum damna, quas longè haberent chariores. Itaque nihil eo loco agitur, niſi non reſidenti quam mulctâ dici oporteret: non ſanè, qui abſit, quantùm peccet. Nec tamen defuerunt, qui ſe illo iure innixos de reſidendo decreta feciſſe ampliſſimis uerbis declarauerunt. Nam, qui primus eâ de re, quam tractamus, perſcripſit, Euariſtus cùm Euariſtus.

eſſet

esset constituturus, Episcopo nefas esse Ecclesiam suã dimittere, eò quòd illi uti sponsus sit consecratus; confert hoc coniugium cum eo, quod est uiro cum uxore, quasi utrunque mysterium habeatur; quod, cùm à Deo sit institutum, ab homine solui non potest. Atque ad hoc ipsum Apostoli sententiam adhibet, qui planè eâ de re se à Domino præceptum habere profitetur. Eum secutus Calistus, eandem comparationem, eundémque Pauli locum perbellè & accommodatè pertractauit. Quid Liberius? cùm Episcopos admoneret, ne laboris fugiẽdi causâ uexationísque uitandæ, sibi à Deo commissas, ut ille ait, relinquerent plebes; nónne eos & Apostoli documento & Domini exemplo ad incommoda æquo animo perferenda hortatur? Iam uerò, quod nos abundè de pastore, qui ponit uitam pro ouibus suis; et de mercenario, qui fugâ saluté sibi quærit, exposuimus; eodem loco pulcherrimè tractãtur. Quæ porrò hac eâdẽ de re scripsit Damasus; quæ Nicolaus, cùm ea uobis à me sint plenè ac dilucidè hoc ipso loco enarrata, puto me moriâ uestrâ adhuc custodiri. Nec uerò edictũ illud ex quinto Concilio Carthaginensi sumptum non est, Extra Christiani cœtus communionem ponantur Dei ministri, qui sua relicta Ecclesia, ad eam redire noluerint. *Quam ob rem? nempè quòd sine ullâ Dei reuerentiâ agentes, ut ibidem scriptum est, nec Dei timorem ante oculos habentes, neque Ecclesiastica instituta custodientes, ab Ecclesiâ suâ recesserunt. Quidnam significant illa uerba,*

Calistus.

Liberius.

Damasus. Nicolaus.

Ex concil. Carthag.

uerbis, Sine ulla Dei reuerentia agentes, nec Dei timorem ante oculos habentes; *nisi quia Dei præceptum contemnunt? Quippe ne ad Ecclesiastica consulta referantur, additum est,* Nec Ecclesiastica instituta custodientes. *Neque uerò Innocentius Sextus, cùm edixit, ut suam quisque Ecclesiam repeteret, atque in ea regenda resideret; non apertè se Dei præcepto ad hoc edicendum adductum esse ostendit. Recita exordium edicti.* Innocent. Sextus.

Cùm bonus Pastor oues suas per se cognoscere, & agnosci ab eis, & de ipsis iugem & uigilem curam gerere ex debito teneatur: profectò ex consequentia manifestè colligitur; cùm, qui eas custodiendas suscepit, illas agnoscere, uel ab eis agnosci refugit, & agnitas pro libito derelinquit, non solùm boni Pastoris nomen amittere: sed ex sententia Domini se uerum non esse Pastorem, sed mercenarium potiùs appellandum: ex cuius culpa simplices oues suo commissæ ducatui à uia Domini facilè deuiantes, directionis & defensionis debita uirga cessante, uisibilium & inuisibilium luporum morsibus exponuntur.

Quid patres illi sanctissimi, qui Paulo III. Pontifice Maximo nunquàm non honoris gratiâ nominando, hoc eodem in loco Concilium habuerunt? An non se diuina oracula secutos, cùm de residendo decreuissent, præ se tulerunt. Sic illi exorsi sunt dicere, Paulus III.

Omnes Patriarchalibus, Primatibus, Metro

politanis

politanis & cathedralibus Ecclesiis quibuscunque, quouis nomine ac titulo præfectos monet, ac monitos esse uult, ut attendentes sibi & uniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, inuigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant. implere autem illud se nequaquàm posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant: atque ouium suarum, quarum sanguis de eorum manibus est à supremo iudice requirendus, custodiæ minimè incumbant; cùm certissimum sit non admitti Pastoris excusationem, si lupus oues comedit, & Pastor nescit. *Quare desinant isti iactare, qui Pontificia decreta fecerunt, nunquàm ad diuina mandata spectasse. At esto, concedatur, ijs in libris, qui Ecclesiasticas leges complectuntur, ne uerbum quidem eâ de re, quod ad ius diuinum attineat, comperiri. Verùm, si Dialecticam didicerunt, nosse debeant locum argumenti, quem ἀποφατικὸν Græci appellant, nostri Inficialem dicere potuissent, uim nullam obtinere. Neque enim sequitur, ut non sit, quod scriptum non reperiatur: quippe cùm multa sint, quæ literis prodita non habentur. Num consequens est, ut, qui residere in Ecclesiâ gubernandâ neglexerit, æterno supplicio non sit dignus, quòd de peccato eo loco non agatur? At, si Ecclesia asseruisset in Dei præceptis non*

non percenseri, argumentatione ualidissimâ ad suam sententiam confirmandam uterentur. Nunc autem, ut diximus, non desunt Pontifices Maximi, qui sententiæ nostræ sint auctores. Nec uerò tam multis Concilijs hoc idem consultum scitúmque fuisset, nisi à Deo præceptum esse sanctissimi Patres eorum temporum compertum habuissent. Nam eâ in re esse nimia frequens que Ecclesia Domini nostri IESV CHRISTI consueuit, qua neglectâ illa nouit in maximam Dei offensionem incurri. Quàm multa enim, quàm crebrò de sectâ, quæ hæresis uocatur, de usuris, de ambitione illâ detestabili, quæ à Simone Mago nomen accepit, constituit? Itaque Antiocheno Concilio cautum est, nequis à suâ diœcesi Episcopus exeat: ac, siquis Ecclesiæ, cui consecratus sit, administrationem sumere neglexerit, huic cum cæteris Christianis nequa sit communio. Sardicensi, ne plus terno dierum septenûm spatio in alienâ prouinciâ commoretur; néue ad Regiam accedat, uel inuandi causâ. nempe ne à pascendo pecore discedat. Quod idê etiam Romano, Apostolicam sedem Syluestro tenête: et illo, quod in œcumenicis sextú habetur, prospectum esse comperitur: ut eo, quod octauum, ne quis Metropolitanus Ecclesiâ propriâ relictâ, aliquam aliam adeat, etiam si eius uisendæ causam prætexat. Iámque Lateranensi prouisum est, ne cui munus Ecclesiasticum omnino deferatur, qui nec in Ecclesiâ residere possit; nec ei, quod debet, officium per se ipsum præstare: ac ne quis, in qui-

Antioch. concil.

Sardic.

Rom. Sylu. Papa.

Lateran. concil.

M bus

politanis & cathedralibus Ecclesiis quibuscunque, quouis nomine ac titulo præfectos monet, ac monitos esse uult, ut attendentes sibi & uniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, inuigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant. implere autem illud se nequaquàm posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant: atque ouium suarum, quarum sanguis de eorum manibus est à supremo iudice requirendus, custodiæ minimè incumbant; cùm certissimum sit non admitti Pastoris excusationem, si lupus oues comedit, & Pastor nescit. *Quare desinant isti iactare, qui Pontificia decreta fecerunt, nunquàm ad diuina mandata spectasse. At esto, concedatur, iis in libris, qui Ecclesiasticas leges complectuntur, ne uerbum quidem eâ de re, quod ad ius diuinum attineat, comperiri. Verùm, si Dialecticam didicerunt, nosse debeant locum argumenti, quem ἀποφατικὸν Græci appellant, nostri Inficialem dicere potuissent, uim nullam obtinere. Neque enim sequitur, ut non sit, quod scriptum non reperiatur: quippe cùm multa sint, quæ literis prodita non habentur. Num consequens est, ut, qui residere in Ecclesiâ gubernandâ neglexerit, æterno supplicio non sit dignus, quòd de peccato eo loco non agatur? At, si Ecclesia asseruisset in Dei præceptis*

non

non percenseri, argumentatione ualidissimâ ad suam sententiam confirmandam uterentur. Nunc autem, ut diximus, non desunt Pontifices Maximi, qui sententiæ nostræ sint auctores. Nec uerò tam multis Concilijs hoc idem consultum scitúmque fuisset, nisi à Deo præceptum esse sanctissimi Patres eorum temporum compertum habuissent. Nam eâ in re esse nimia frequénsque Ecclesia Domini nostri IESV CHRISTI *consueuit, qua neglectâ illa nouit in maximam Dei offensionem incurri. Quàm multa enim, quàm crebrò de sectâ, quæ hæresis uocatur, de usuris, de ambitione illâ detestabili, quæ à Simone Mago nomen accepit, constituit? Itáque Antiocheno Concilio cautum est, ne quis à suâ diœcesi Episcopus exeat: ac, si quis Ecclesiæ, cui consecratus sit, administrationem sumere neglexerit, huic cum cæteris Christianis ne qua sit communio. Sardicensi, ne plus terno dierum septenûm spatio in alienâ prouinciâ commoretur; néue ad Regiam accedat, uel iuuandi causâ. nempe ne à pascendo pecore discedat. Quod idē etiam Romano, Apostolicam sedem Syluestro tenēte: et illo, quod in œcumenicis sextū habetur, prospectum esse comperitur: ut eo, quod octauum, ne quis Metropolitanus Ecclesiâ propriâ relictâ, aliquam aliam adeat, etiam si eius uisendæ causam prætexat. Iámque Lateranensi prouisum est, ne cui munus Ecclesiasticum omnino deferatur, qui nec in Ecclesiâ residere possit; nec ei, quod debet, officium per se ipsum præstare: ac ne quis, in qui-*

Antioch. concil.

Sardic.

Rom. Sylu. Papa.

Lateran. concil.

M bus

bus ipse nequeat commorari, teneat parochias, nec
Alexā.III. Cœlest.III. Innoc. III. *eorum fructus percipiat. Idque Tertij tres, Alexander, Cælestinus & Innocentius sanxerunt. Vsque adeò pro Ecclesiâ administrandâ Antistites Dei man*
Can.Apost. *dato obstringi tenebant. Quid ipsi Apostoli? nónne multò ante eâ de re cauerant, ut Apostolicis decretis planissimè docemur? Et uerò ita se res habet, ut, quamuis de Residendo Pontificijs libris nihil esset constitutum, neque non residenti aquâ igníque interdictum, neque ulla pœna irrogata: iure tamen diuino Episcopus ad residendum compellatur; ac, si residere negligat, ei supplicium æternum debeatur.*
Obijcitur. *At, si Deus id iussisset, superuacaneum esset ab Ecclesiâ mandari: cùm maiorem uim habeat, quod ille,*
Refutatur. *quàm quod hæc, præceperit. An non & lege humanâ furta, parricidia, fœnerationes, cætera scelera, quibus Deus ipse grauissimas pœnas constituit, grauissimè mulctantur? Si Iure ciuili ita prospectum est; quantò magis ad Ecclesiam, cuius quidem scita ad diuina proximè accedunt, attinet, quæ Deus mandauit, prouidere, ut seruentur? Neque id, tantùm ei curæ fuit, ut custodiatur: sed & cætera omnia Domini nostri* IESV CHRISTI *præcepta; eáque præcipuè, quæ plus habent offensionis, si prætermittantur. At uelim, ne actum agatur: quando id non semel ab ijs obiectum est; à nobis refutatum. Verùm enim amicissimè puto esse admonendos, qui aiunt in scripturâ locum non reperiri, ex quo sumendum sit, Dominum residendi præceptum disertis*

tis uerbis dedisse, ne Arianos se imitari præ se gerant: qui uerbum illud ὁμοούσιον*, uti nouum, nec dum auditum, nec in sacris literis compertum respuebant. quasi uerò satis non sit ea diuina oracula dilucidè prodita esse, quæ tantundem ualeant. An de sanctâ religiosâque peccatorum confessione apertis uerbis à Deo mandatum habemus? at, quemadmodum illud, ita hoc de residendo præceptum ex his, quæ Dominus disertè præcepit, infertur. Neque inficiamur uerbum ipsum Residere non multis antè seculis repertum esse: sed ex Dei mandatis, qui iusserat discipulos pascere oues suas, salutémque omnium gentium curare; atque ex maiorum consultis, qui præceperant, nequis susceptam Ecclesiam relinqueret, inductum, illatúmque affirmamus. Quoniam puto uel terga dedisse, uel cecidisse, quem illi Achillem esse ducebant: nunc Vlyssis fallacias retegamus; ut in eo nihil ueri existere ostendamus. Vt enim assentimur neutiquàm iure Diuino comprehendi, quod mutari uariaríque potest: ita inficiamur, quod Episcopi curam attingit ad officium præstandum, prout à Deo præceptum est, mutationem uarietatémque habere. At, si residendi ratio in uarietate non uersaretur; non utique fieret, ut Antistes persæpe non residere cogatur, siue propriæ, siue uniuersæ Ecclesiæ gratiâ, siue pacis inter Principes Christianos conciliandæ, siue quacunque aliâ Reip. necessitate, siue ut summo Pontifici obediat. Adde tum priuatæ commoditatis, tum animi causâ inter-*

Obiicitur.

Refutatur.

interdum etiam licere, dummodò ne hoc interim spatio Ecclesia detrimentum accipiat. Nam præcepta de officijs præstandis id genus profectò sunt, ut nemo ad illa obeunda, nisi cùm opus fuerit, prout loci, temporisque, atque personæ ratio postulauerit, compellatur. Num parentes nullo non loci uestigio, nullóque non temporis puncto honorandi sunt? at præceptum illud uulgatum est, Honora Parentes. *Num tempus nullum non erit bene merendi? at meritorum genera, quæ danda ex Dei mandato sint, reperiuntur. Quid septimus ille dies ita celebris, támque sanctus? nonne Dei iussu eâ religione celebrabatur, ut nemini fas esset non esse feriato? At nefas cuiquam non fuit necessitate cogente in opere uersari, ad defendendum arma capere, certare; Apostolis esurientibus licuit spicas uellere; Machabæis obsessis, cùm oppugnarentur, dimicare. Iam uerò, qui panis Deo quasi donum aliquod dabatur, eum comesse, qui Sacerdos non esset, nemini licebat. at Dauati Regio, qui iratum Regem fugiebat, cùm esuries urgeret, eo uesci nefas non fuit. Ita etiam usu uenit, ut, quamuis Domini præcepto Episcopus in suâ residere Ecclesiâ cogatur, ab eâ tamen meritò interdum possit discedere. Nam uel naturâ ipsâ comparatum est, ut, quemadmodùm coniugium, quod carne fit, licet iure diuino ita astringatur, ut ab homine ullo solui non queat; non tamen illo se adeò uir alligatum existimat, ut putet nullum sibi dari tempus à coniuge abeundi: ita, quod spiritu est, etsi diuini*

uini

uini præcepti ſic arcto uinculo urgetur, ut nullo hominum iuſſu, quod Deus coniunxit, diſiungi poſſit; non eo tamen uſque hoc Antiſtes conſtringetur, ut ab Eccleſiâ, cui tanquàm ſponſæ coniugatur, nonnunquàm abeſſe nequeat. Vterque propoſitum id habet, ad quod omne ſtudium, omne conſilium, omnem denique laborem conferre debeat: Ille rem domeſticam, qua coniuges, liberóſque, & familiam complector: hic Chriſtianam, quæ planè ſalus eſt humani gregis, quem paſcendum ſuſcepit. Ille nunquàm à coniuge diſceſſurus ſit, ſi rei domeſticæ iactura conſequatur: hic nunquàm ab Eccleſiâ, in qua ſalus gregis præſentiam ſuam requirat, etiam ſi uitæ ſibi diſcrimen intendatur. Vterque ſiue intimâ, ſiue externâ compellatur neceſſitate, modò ſuæ rei bene proſpexerit, ille à domo, hic à ſuâ diœceſi, licere ſibi abeſſe putauerit. Neuter propriæ priuatæque commoditatis, uoluptatíſque cauſâ, niſi hoc ſanè in utilitatem, ille rerum ſuarum domeſticarum, hic Eccleſiæ ſuæ, redundare exiſtimauerit. Nam multùm expedit familiæ patrem, Eccleſiæ Antiſtitem optimè ualere, curíſque aſſiduis interdum leuari, atque aliquâ ceſſatione ad labores ferendos fieri uegetiorem. Nec uerò urgent, cùm inſtant nobis, atque inducere conantur; ut idem eſſe, quod eſt diſpar, credamus. Quanquam enim à Deo myſteria ſunt omnia planè inſtituta: non eadem tamen omnium, ut alio loco diximus, ratio eſt. Nam, ut dubitandum nó ſit, Diuino præcepto peccata eſſe con

Obiicitur.

Refutatur.

 fitenda,

fitenda; non tamen asserendum est ita Deum præcepisse, ut, qui peccauerint, antequàm mortis periculum immineat, uelint, nolint, iudicium subire cogantur Sacerdotis: quemadmodùm Sacerdotibus dedisse potestatem de peccatis, qui fuerit ea confessus, absoluendi; ac iuris item condendi, quo Christianorum saluti prospiciant. Habemus præterea cópertum à Deo cibi ieiunitatem, corporísque castigationem aliquando fuisse indictam: mandatum uerò eâ de re accepisse Ecclesiam, quo sibi curæ esse omnino intelligeret, non planè asseueramus. Ea porrò auctoritate freta ac facultate, qua Domino nostro IESV CHRISTO *auctore pollebat, & confitendis erratis, & corpori castigando tempus præstituit. At planissimè docuimus ab eodem illo Domino Deóque nostro pastores fuisse institutos, eorúmque officia constituta, atque amplissimis uerbis præceptum, ut ipsi pecus pascerent suum; quod est, quemadmodùm sanctissimi eruditissimíque patres dixerunt, ut in eo pascendo considerent. Itaque, si munus Episcopo proximè à Deo fuisse præfinitum fatemur; in eo præstando omnem residendi rationem præscriptam item asseramus necesse est.* Obijcitur. *Verùm enimuerò, ut omnium mandatorum, ita huius præcepti declarationem ad Ecclesiam assentimur attinere.* Refutatur. *Nec uerò, propterea quòd, quando, et quas ob res, et quandiu à suâ præfecturâ possit Episcopus abesse, Pontificis Maximi est declarare; ei præstare officia sua Dei præcepto non cogitur. An quia,*

quoto

quoto uel cognationis uel affinitatis gradu connubia sint coniungenda, ille declarat, atque præstituit; ius matrimonij diuinum non est? aut quia ritum modúmque in cœlesti illo conuiuio, quo & sanctissima caro Domini ministratur, & sanguis pretiosissimus propinatur, uersandi ille suo arbitratu instituit, diémque præscripsit; non Dei mandatum exequitur, qui splendidissimâ illâ mensâ perfruitur? Quid, qui celeberrimis diebus, qui meritò sancti appellantur, cùm Dominus Deúsque noster ad genus humanum liberandum in cruce pretium soluerit, ad aurem Sacerdotis puram, illustrémque, ac ueram erratorum historiam explicat? nónne diuino paret præcepto, quamuis ritum, tempúsque confitendi Ecclesia constituerit? At assentiamur ijs, confitendi rationem eandem esse, atque residendi: cur illi inficiantur præceptum de residendo esse diuinum; si Dei mandato peccata sunt confitenda? Hoc sanè quidem in utrunque cōuenit, ut CHRISTI *Domini iussu, cum opus fuerit, obeatur, necesse omnino sit: nempe ut, qui peccauerit, Sacerdotis iudicio se subijciat; qui regendam Ecclesiam sumpserit, in ea resideat. Concedimus etiam Pontificem Maximum, ut confitendi, sic et residendi tempus præscripsisse. at, quemadmodum consequens non est, ut peccatorum confessio Ecclesiastico, non diuino iure teneatur, eò quòd ei diem ille præstituit: ita nō consequitur, ut propterea, quòd ille consîdendi spatium præfiniuit, Ecclesiæ, non Dei præcepto sit consîdendum. Illud uerò mihi neuti-* Obijcitur.

caderemus. At, cùm Patroclus, ut Achillis speciem ad Troianos perterrendos præferret, qui Græcorum Regi iratus in prælium prodire omnino recusabat; à fortissimo Heroe uix tandem, ut eius curru, armísque uteretur, impetrásset; ab Hectore, qui cum congredi non dubitauit, occisus est. Falsum uerò Vlyssem Aiax Telamonius facilè interemit: cùm arietem gregis ducem per insaniam occidisset, in quo eum sibi Minerua repræsentabat. Abhorrent enim, abhorrent à uero, Patres Amplissimi, etsi speciem quandam ueri ad decipiendum habent, quæ nescio quo errore ducti uiri illi eruditi admodùm, & religiosi obiecerunt. Quàm nullâ difficultate, nullóque labore non modò in fugam uerti possint, uerùm etiam absumi, audite.

Refutatur. *Nam planissimè accepistis ex diuinis oraculis, quæ Episcopum ad residendum compellunt. Quanquam enim nō proprijs perspicuísque uerbis hæc explicantur: at certè ijs, quæ idem ualent, significantur. Sed inquient, Antesignani nostri, quæ uos ex sacratiss. scripturâ producitis, aliter intelligunt. Quid tum? num accusatores testimonium in iudicio ferre possunt? num si ferunt, fides ijs adhibenda est? Nos autem multorum, eorúmque sanctissimorum ac doctissimorum diuini iuris interpretum, qui, ut aiunt, extra omnem aleam positi sunt, locupletissimo utimur testimonio. quippe Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, quatuor Christianæ doctrinæ stabiles columnæ, Origenes, Cyprianus, Basilius, Nazianzenus, Nisenus, Chrysostomus, Athanasius, Beda, Bernardus,*

nardus, omnes fermè & Græci & Latini nominis Ecclesiastici scriptores; ipsi præterea uniuersæ Ecclesiæ præsides Euaristus, Calistus, Liberius, Damasus, Nicolaus, qui magnâ ex parte ius Pontificium condiderunt, eam Domini fuisse sententiam testificantur. Signiferi uestri secùs sentiunt. Quibus fidei plus habendum est? Quod autem Ecclesiasticâ lege prouisum planè sit, ut Episcopus in diœcesi resideat, non est quod iure diuino minùs urgeatur. Immò uerò, cùm illud Ecclesia, ut positum, ac planè ita approbatum, de quo nemo dubitaret, haberet; non esse repetendum, atque inculcandum arbitrabatur: sed, quod eâ de re statuebat, ad hoc annitebatur. Cùm enim id uideret neglectum eò, quòd homines terrena commoda magis, quàm cælestia diligerent; priuata, quàm publica; tenebras, quàm lucem; se ipsos, quàm Deum; atque eâ de causâ intelligeret eos in metu ponere magis præsens incommodum, rerúmque terrestrium detrimentum, quàm supplicium sempiternum; ac diuinæ gratiæ, quam non modò retinere, sed augere etiam deberent, iacturam: pœnas, quas illi ipsi inter homines soluerent, minabatur, ac rerum earum damna, quas longè haberent chariores. Itaque nihil eo loco agitur, nisi non residenti quam mulctâ dici oporteret: non sanè, qui absit, quantùm peccet. Nec tamen defuerunt, qui se illo iure innixos de residendo decreta fecisse amplissimis uerbis declarauerunt. Nam, qui primus eâ de re, quam tractamus, perscripsit, Euaristus cùm Euaristus.

esset

esset constituturus, Episcopo nefas esse Ecclesiam suã dimittere, cò quòd illi uti sponsus sit consecratus; confert hoc coniugium cùm eo, quod est uiro cum uxore, quasi utrunque mysterium habeatur; quod, cùm à Deo sit institutum, ab homine solui non potest. Atque ad hoc ipsum Apostoli sententiam adhibet, qui planè eâ de re se à Domino præceptum habere profitetur. Eum secutus Calistus, eandem comparationem, eundémque Pauli locum perbellè & accommodatè pertractauit. Quid Liberius? cùm Episcopos admoneret, ne laboris fugiẽdi causâ uexationísque uitandæ, sibi à Deo commissas, ut ille ait, relinquerent plebes; nonne eos & Apostoli documento & Domini exemplo ad incommoda æquo animo perferenda hortatur? Iam uerò, quod nos abundè de pastore, qui ponit uitam pro ouibus suis; et de mercenario, qui fugâ saluté sibi quærit, exposuimus; eodem loco pulcherrimè tractãtur. Quæ porrò hac eâdẽ de re scripsit Damasus; quæ Nicolaus, cùm ea uobis à me sint plenè ac dilucidè hoc ipso loco enarrata, puto memoriâ uestrâ adhuc custodiri. Nec uerò edictũ illud ex quinto Concilio Carthaginensi sumptum non est,

Calistus.

Liberius.

Damasus.
Nicolaus.

Ex concil.
Carthag.

Extra Christiani cœtus communionem ponantur Dei ministri, qui sua relicta Ecclesia, ad eam redire noluerint. *Quam ob rem? nempè quòd sine ullâ Dei reuerentiâ agentes, ut ibidem scriptum est, nec Dei timorem ante oculos habentes, neque Ecclesiastica instituta custodientes, ab Ecclesiã suâ recesserunt. Quídnam significant illa*

uerba,

uerba, Sine ulla Dei reuerentia agentes, nec Dei timorem ante oculos habentes; *nisi quia Dei præceptum contemnunt? Quippe ne ad Ecclesiastica consulta referantur, additum est,* Nec Ecclesiastica instituta custodientes. *Neque uerò Innocentius Sextus, cùm edixit, ut suam quisque Ecclesiam repeteret, atque in ea regendâ resideret; non apertè se Dei præcepto ad hoc edicendum adductum esse ostendit? Recita exordium edicti.* Cùm bonus Pastor oues suas per se cognoscere, & agnosci ab eis, & de ipsis iugem & uigilem curam gerere ex debito teneatur: profectò ex consequentia manifestè colligitur; cùm, qui eas custodiendas suscepit, illas agnoscere, uel ab eis agnosci refugit, & agnitas pro libito derelinquit, non solùm boni Pastoris nomen amittere: sed ex sententia Domini se uerum non esse Pastorem, sed mercenarium potiùs appellandum: ex cuius culpa simplices oues suo commissæ ducatui à uia Domini facilè deuiantes, directionis & defensionis debita uirga cessante, uisibilium & inuisibilium luporum morsibus exponuntur. *Quid patres illi sanctissimi, qui Paulo III. Pontifice Maximo nunquàm non honoris gratiâ nominando, hoc eodem in loco Concilium habuerunt? An non se diuina oracula secutos, cùm de residendo decreuissent, præ se tulerunt. Sic illi exorsi sunt dicere,* Omnes Patriarchalibus, Primatibus, Metropolitanis

Innocent. Sextus.

Paulus III.

politanis & cathedralibus Ecclesiis quibuscunque, quouis nomine ac titulo præfectos monet, ac monitos esse uult, ut attendentes sibi & uniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, inuigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant. implere autem illud se nequaquàm posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant: atque ouium suarum, quarum sanguis de eorum manibus est à supremo iudice requirendus, custodiæ minimè incumbant; cùm certissimum sit non admitti Pastoris excusationem, si lupus oues comedit, & Pastor nescit. *Quare desinant isti iactare, qui Pontificia decreta fecerunt, nunquàm ad diuina mandata spectasse. At esto, concedatur, ijs in libris, qui Ecclesiasticas leges complectuntur, ne uerbum quidem eâ de re, quod ad ius diuinum attineat, comperiri. Verùm, si Dialecticam didicerunt, nosse debeant locum argumenti, quem ἀποφατικὸν Græci appellant, nostri Inficialem dicere potuissent, uim nullam obtinere. Neque enim sequitur, ut non sit, quod scriptum non reperiatur: quippe cùm multa sint, quæ literis prodita non habentur. Num consequens est, ut, qui residere in Ecclesiâ gubernandâ neglexerit, æterno supplicio non sit dignus, quòd de peccato eo loco non agatur? At, si Ecclesia asseruisset in Dei præceptis*

non

non percenseri, argumentatione ualidissimâ ad suam sententiam confirmandam uterentur. Nunc autem, ut diximus, non desunt Pontifices Maximi, qui sententiæ nostræ sint auctores. Nec uerò tam multis Concilijs hoc idem consultum scitúmque fuisset, nisi à Deo præceptum esse sanctissimi Patres eorum temporum compertum habuissent. Nam eâ in re esse nimia frequénsque Ecclesia Domini nostri IESV CHRISTI *consueuit, qua neglectâ illa nouit in maximam Dei offensionem incurri. Quàm multa enim, quàm crebrò de sectâ, quæ hæresis uocatur, de usuris, de ambitione illâ detestabili, quæ à Simone Mago nomen accepit, constituit? Itaque Antiocheno Concilio cautum est, ne quis à suâ diœcesi Episcopus exeat: ac, si quis Ecclesiæ, cui consecratus sit, administrationem sumere neglexerit, huic cum cæteris Christianis nequa sit communio. Sardicensi, ne plus terno dierum septenûm spatio in alienâ prouinciâ commoretur; néue ad Regiam accedat, uel inuandi causâ. nempe ne à pascendo pecore discedat. Quod idé etiam Romano, Apostolicam sedem Syluestro tenéte: et illo, quod in œcumenicis sextú habetur, prospectum esse comperitur: ut eo, quod octauum, ne quis Metropolitanus Ecclesiâ propriâ relictâ, aliquam aliam adeat, etiam si eius uisendæ causam prætexat. Iámque Lateranensi prouisum est, ne cui munus Ecclesiasticum omnino deferatur, qui nec in Ecclesiâ residere possit; nec ei, quod debet, officium per se ipsum præstare: ac ne quis, in qui*bus

Antioch. concil.

Sardic.

Rom. Sylu. Papæ.

Lateran. concil.

bus ipse nequeat commorari, teneat parochias, nec
Alexā. III. *earum fructus percipiat. Idque Tertij tres, Alexan*
Cœlest. III. Innoc. III. *der, Cœlestinus & Innocentius sanxerunt. Vsque*
adeò pro Ecclesiâ administrandâ Antistites Dei man
Can. Apost. *dato obstringi tenebant. Quid ipsi Apostoli? nón-*
ne multò ante eâ de re cauerant, ut Apostolicis de-
cretis planissimè docemur? Et verò ita se res habet,
ut, quamuis de Residendo Pontificijs libris nihil es-
set constitutum, neque non residenti aquâ igníque in
terdictum, neque ulla pœna irrogata: iure tamen di
uino Episcopus ad residendum compellatur; ac, si re-
sidere negligat, ei supplicium æternum debeatur.
Obijcitur. *At, si Deus id iussisset, superuacaneum esset ab Eccle*
siâ mandari: cùm maiorem uim habeat, quod ille,
Refutatur. *quàm quod hæc, præceperit. An non & lege huma*
nâ furta, parricidia, fænerationes, cætera scelera,
quibus Deus ipse grauissimas pœnas constituit, gra-
uissimè mulctantur? Si Iure ciuili ita prospectum
est; quantò magis ad Ecclesiam, cuius quidem scita
ad diuina proximè accedunt; attinet, quæ Deus
mandauit, prouidere, ut seruentur? Neque id,
tantùm ei curæ fuit, ut custodiatur: sed & cætera
omnia Domini nostri IESV CHRISTI *præcepta;*
eáque præcipuè, quæ plus habent offensionis, si præ-
termittantur. At uelim, ne actum agatur: quan-
do id non semel ab ijs obiectum est; à nobis refuta-
tum. Verùm enim amicissimè puto esse admonendos,
qui aiunt in scripturâ locum non reperiri, ex quo su-
mendum sit, Dominum residendi præceptum diser-
M *tis*

tis uerbis dediſſe, ne Arianos ſe imitari præſe gerant: qui uerbum illud ὁμοούσιον, *uti nouum, nec dum auditum, nec in ſacris literis compertum reſpuebant. quaſi uerò ſatis non ſit ea diuina oracula dilu lucidè prodita eſſe, quæ tantundem ualeant. An de ſanctâ religioſâque peccatorum confeſſione apertis uerbis à Deo mandatum habemus? at, quemadmodùm illud, ita hoc de reſidendo præceptum ex his, quæ Dominus diſertè præcepit, infertur. Neque inficiamur uerbum ipſum Reſidere non multis antè ſeculis repertum eſſe: ſed ex Dei mandatis, qui iuſſerat diſcipulos paſcere oues ſuas, ſalutémque omnium gentium curare; atque ex maiorum conſultis, qui præceperant, nequis ſuſceptam Eccleſiam relinqueret, inductum, illatúmque affirmamus. Quoniam puto uel terga dediſſe, uel cecidiſſe, quem illi Achillem eſſe ducebant: nunc Vlyſſis fallacias retegamus; ut in eo nihil ueri exiſtere oſtendamus. Vt enim aſſentimur neutiquàm iure Diuino comprehendi, quod mutari uariaríque poteſt: ita inficiamur, quod Epiſcopi curam attingit ad officium præſtandum, prout à Deo præceptum eſt, mutationem uarietatémque habere. At, ſi reſidendi ratio in uarietate non uerſaretur; non utique fieret, ut Antiſtes perſæpe non reſidere cogatur, ſiue propriæ, ſiue uniuerſæ Eccleſiæ gratia, ſiue pacis inter Principes Chriſtianos conciliandæ, ſiue quacunque aliâ Reip. neceſſitate, ſiue ut ſummo Pontifici obediat. Adde tum priuatæ commoditatis, tum animi causâ* Obiicitur. Refutatur.

 inter-

interdum etiam licere, dummodò ne hoc interim spatio Ecclesia detrimentum accipiat. Nam præcepta de officijs præstandis id genus profectò sunt, ut nemo ad illa obeunda, nisi cùm opus fuerit, prout loci, temporisque, atque personæ ratio postulauerit, compellatur. Num parentes nullo non loci uestigio, nullóque non temporis puncto honorandi sunt? at præceptum illud uulgatum est, Honora Parentes. *Num tempus nullum non erit bene merendi? at meritorum genera, quæ danda ex Dei mandato sint, reperiuntur. Quid septimus ille dies ita celebris, támque sanctus? nonne Dei iussu eâ religione celebrabatur, ut nemini fas esset non esse feriato? At nefas cuiquam non fuit necessitate cogente in opere uersari, ad defendendum arma capere, certare; Apostolis esurientibus licuit spicas uellere; Machabæis obsessis, cùm oppugnarentur, dimicare. Iam uerò, qui panis Deo quasi donum aliquod dabatur, eum comesse, qui Sacerdos non esset, nemini licebat. at uati Regio, qui iratum Regem fugiebat, cùm esuries urgeret, eo uesci nefas non fuit. Ita etiam usu uenit; ut, quamuis Domini præcepto Episcopus in suâ residere Ecclesiâ cogatur, ab eâ tamen meritò interdum possit discedere. Nam uel naturâ ipsâ comparatum est, ut, quemadmodùm coniugium, quod carne fit, licet iure diuino ita astringatur, ut ab homine ullo solui non queat; non tamen illo se adeò uir alligatum existimat, ut putet nullum sibi dari tempus à coniuge abeundi: ita, quod spiritu est, etsi diuini*

uini præcepti ſic arcto uinculo urgetur, ut nullo hominum iuſſu, quod Deus coniunxit, diſiungi poſſit; non eo tamen uſque hoc Antiſtes conſtringetur, ut ab Eccleſiâ, cui tanquàm ſponſæ coniugatur, nonnunquàm abeſſe nequeat. Vterque propoſitum id habet, ad quod omne ſtudium, omne conſilium, omnem denique laborem conferre debeat: Ille rem domeſticam, qua coniuges, liberóſque, & familiam complector: hic Chriſtianam, quæ planè ſalus eſt humani gregis, quem paſcendum ſuſcepit. Ille nunquàm à coniuge diſceſſurus ſit, ſi rei domeſticæ iactura conſequatur: hic nunquàm ab Eccleſiâ, in qua ſalus gregis præſentiam ſuam requirat, etiam ſi uitæ ſibi diſcrimen intendatur. Vterque ſiue intimâ, ſiue externâ compellatur neceſſitate, modò ſuæ rei bene proſpexerit, ille à domo, hic à ſuâ diœceſi, licere ſibi abeſſe putauerit. Neuter propriæ priuatæque commoditatis, uoluptatíſque causâ, niſi hoc ſanè in utilitatem, ille rerum ſuarum domeſticarum, hic Eccleſiæ ſuæ, redundare exiſtimauerit. Nam multùm expedit familiæ patrem, Eccleſiæ Antiſtitem optimè ualere, curíſque aſſiduis interdum leuari, atque aliquâ ceſſatione ad labores ferendos fieri uegetiorem. Nec uerò urgent, cùm inſtant nobis, **Obiicitur.** *atque inducere conantur; ut idem eſſe, quod eſt diſpar, credamus. Quanquam enim à Deo myſte-* **Refutatur.** *ria ſunt omnia planè inſtituta: non eadem tamen omnium, ut alio loco diximus, ratio eſt. Nam, ut dubitandum nó ſit, Diuino præcepto peccata eſſe con-*

fitenda; non tamen asserendum est ita Deum praecepisse, ut, qui peccauerint, antequàm mortis periculum immineat, uelint, nolint, iudicium subire cogantur Sacerdotis: quemadmodùm Sacerdotibus dedisse potestatem de peccatis, qui fuerit ea confessus, absoluendi; ac iuris item condendi, quo Christianorum saluti prospiciant. Habemus praetereà cōpertum à Deo cibi ieiunitatem, corporisque castigationem aliquando fuisse indictam: mandatum uerò eâ de re accepisse Ecclesiam, quo sibi curae esse omnino intelligeret, non planè asseueramus. Ea porrò auctoritate freta ac facultate, qua Domino nostro IESV CHRISTO *auctore pollebat, & confitendis erratis, & corpori castigando tempus praestituit. At planissimè docuimus ab eodem illo Domino Deóque nostro pastores fuisse institutos, eorúmque officia constituta, atque amplissimis uerbis praeceptum, ut ipsi pecus pascerent suum; quod est, quemadmodùm sanctissimi eruditissimíque patres dixerunt, ut in eò pascendo considerent. Itaque, si munus Episcopo proximè à Deo fuisse praefinitum fatemur; in eo praestando omnem residendi rationem praescriptam item asseramus necesse est.*

Obijcitur. *Verùm enimuerò, ut omnium mandatorum, ita huius praecepti declarationem ad Ecclesiam assentimur attinere.*

Refutatur. *Nec uerò, propterea quòd, quando, et quas ob res, et quandiu à suâ praefecturâ possit Episcopus abesse, Pontificis Maximi est declarare; ei praestare officia sua Dei praecepto non cogitur. An quia,*

quoto

quoto uel cognationis uel affinitatis gradu connubia sint coniungenda, ille declarat, atque præstituit; ius matrimonij diuinum non est? aut quia ritum modúmque in cœlesti illo conuiuio, quo & sanctissima caro Domini ministratur, & sanguis pretiosissimus propinatur, uersandi ille suo arbitratu instituit, diémque præscripsit; non Dei mandatum exequitur, qui splendidissimâ illâ mensâ perfruitur? Quid, qui celeberrimis diebus, qui meritò sancti appellantur, cùm Dominus Deúsque noster ad genus humanum liberandum in cruce pretium soluerit, ad aurem Sacerdotis puram, illustrémque, ac ueram erratorum historiam explicat? nónne diuino paret præcepto, quamuis ritum, tempúsque confitendi Ecclesia constituerit? At assentiamur ijs, confitendi rationem eandem esse, atque residendi: cur illi inficiantur præceptum de residendo esse diuinum; si Dei mandato peccata sunt confitenda? Hoc sanè quidem in utrunque cõuenit, ut CHRISTI *Domini iussu, cum opus fuerit, obeatur, necesse omnino sit: nempe ut, qui peccauerit, Sacerdotis iudicio se subijciat; qui regendam Ecclesiam sumpserit, in eâ resideat. Concedimus etiam Pontificem Maximum, ut confitendi, sic et residendi tempus præscripsisse. at, quemadmodum consequens non est, ut peccatorum confessio Ecclesiastico, non diuino iure teneatur, eò quòd ei diem ille præstituit: ita nó consequitur, ut propterea, quòd ille considendi spatium præfiniuit, Ecclesiæ, non Dei præcepto sit considendum. Illud uerò mihi neutiquam* Obijcitur.

quàm probari potest, cuiúsnam Sacerdotis iudicium, qui peccatorum sit absoluendus, subire libeat,
Refutatur. *Deum non præcepisse. Quos enim Christianorum pastores instituit, eis profectò hoc dixit,* Accipite Spi
Ioan. 20. ritum sanctum. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: &, quorum retinueritis, retenta sunt. *Qui uerò eis deinceps succedunt, suo quisque hominum gregi, sunt proprij, uerique Sacerdotes. Quamobrem ea iudicandi potestas cum Pontificio munere ita apta connexáque est, ut, cùm primum illud susceptum fuerit, hæc item unà suscipiatur, oporteat. Quánam de re tam præcipuè, quàm de salute animarum, Episcopum cura attingit? quid est, in quo magis animarum salus uertatur, quàm in absoluendo? Deus igitur instituit, ut suo quisque pastori, ac Sacerdoti, peccata, qui æterno supplicio se liberari uelint, confiteantur.*
Obiicitur. *At unum* CHRISTVS *perpetuum Antistitem constituit. quanquàm enim Apostolos ille Episcopos creauit; eorum tamen, qui illis successerunt, elegit profectò neminem, nisi*
Refutatur. *qui in Petri locum deinceps suffecti sunt. Sed uideant, ne tam eâ in re, quam ut certam urámque sumunt, quàm in ratione fallantur. Quis enim assentiatur aliquem hominem perpetuum esse, aut perpetuò dignitate Pontificiâ perfuncturum? At unum interpretantur munus uniuersæ Ecclesiæ præsidendi, quod esset perpetuò ijs, qui Petro succederent, deferendum; unúmque perpetuum magistratum, quo qui fungeretur, uniuersæ*

Rei

Rei Christianæ præesset; ísque perpetuò futurus esset Episcopus Romanus. Vt unum intelligis, qui suo nomine uniuerso terrarum orbi præsideret, Petrum quippe, & quicunque erat ei successurus, à Domino institutum: ita, cùm ille nationes, gentésque omneis sub Imperio suo futuras esse prospexisset, quas moderari ac regere partitè atque distinctè unus non posset; qui in partem laboris uocarétur, nempe cæteros Apostolos, & qui essent in locum eorum supponendi, Episcopos instituisse dicẽdus erit. Quídnam id aliud est, quàm suam Remp. à Deo sic esse constitutam; ut in eâ, quod illi ipsi etiam confitentur, ordo Episcoporum nunquàm sit defuturus: quorum unus sit princeps, unúsque Ecclesiæ præses uniuersæ; cæteri in partem operis accersantur? At non eadem eorum est ratio, qui Petro succedunt, atque aliorum, qui cæteris Apostolis surrogantur. cùm enim Dominus iussit Petrum pascere oues suas; successores uisus est etiam iussisse. Num putas id Petro à Domino sit fuisse imperatum, ut una Principis persona non omneis item reliquos Apostolos, non omneis etiam cæteros pastores comprehenderit? Quídni? si ad amplissimam summámque iurisdictionem, & ad singularem rerum omnium Christianarum potestatem, quâ unum ille Petrum uniuersæ Ecclesiæ præfecit, Pontificúmque principem constituit, id referendum existimas: rectè quidem sentis, atque hoc tibi planè assentimur. Sin, quod quisque pastor præstare debeat, eo quoque iussu inficiaris comprehendi: falli

Obijcitur.

Refutatur.

falli profectò uideris. Nam duo sine ullâ dubitatione mãdatum illud complectitur: unum singulare est, atque in solum quidem Petrum cadit, eiúsque successores; nimirùm quam dixi uim maximá, & , ut nunc loquuntur, plenitudinem potestatis: alterum uniuersè pastoris munus præscribit. Vt ille, tãquàm pecoris pastor uniuersi, ad pascendum gregem incumberet, non sanè qui singulis sibi in Ecclesiis consid endum esse arbitraretur; sed qui, nequa earum bono Antistite careat, nequid detrimenti accipiat, ne minùs rectè administretur, prospiceret: Episcopos uel singulos, uel cuiúsque nationis, uel omneis, quot quot in orbe Christiano reperiantur, literis, quod ut sanctum piúmque sequendum sit; quod, ut nefarium, & à religione alienum fugiendum, doceret: in officio retineret: ad ea, quæ sint quæsita, responderet: dubitationes euelleret: ueritatem declararet: Remp. Christianam optimis institutis ornaret: nihil denique quod in totâ Re Christianâ bene administrandâ maximum Principem, summum præsidem, primarium pastorem deceat, prætermitteret. Cæteri uerò Pontifices, quo, suâ quisque in diœcesi, munere functuri essent, intelligerent: quippe Dei mandatò suum cuique gregem eodem modo custodiendum, pascendúmque esse. Ac, nequis putet hoc à me fingi, Augustini testimonium recitetur. Id Petro singulariter iussit Dominus, quod omnibus erat commune, ut unitatem commendaret. Multi enim

Auguſt.

erant

erant Apoſtoli: & uni dicitur, Paſce oues meas. *Quare hoc uni mandatum eſt, quod ei cum cæteris omnibus erat commune? An non, ut unum Principem, qui uniuersè præſideret, deſignaret; atque in illo uno cæteris omnibus poteſtatem daret paſcendi, et officium expreſsè declararet. Recitetur & Ambroſij:* Nobis in uerbis diuinis credita eſt diſpenſatio, qui gregem CHRISTI paſcendum ſuſcepimus. *Quibus uerbis Deus paſcendum nobis gregem detulit ſuum? nempe illis,* Paſce oues meas. *Accedat, quòd paulò pòſt ſequitur,* Væ iam mihi eſt, ſi claues illas Regni Cœlorum, quas in beato Petro Apoſtolo cuncti ſuſcepimus Sacerdotes, minimè reſeruauero. *&*, Repetitum eſt tertiò, Paſce oues meas. Quas oues & quem gregem non ſolùm tunc beatus Petrus ſuſcepit, ſed nobiſcum illas ſuſcepit, & cum illo nos ſuſcepimus omnes. Iuſsit Dominus Petrum paſcere oues: per quem ad reliquos omnes poteſtas & auctoritas paſcendi manat à Deo. *Caput eſt enim Petrus, de quo, Deo infundente, facultas Rei Chriſtianæ adminiſtrandæ ad cætera mẽbra defluit. Audite etiam, quam afferam ex Leone illo magno teſtificationem luculentam atque præclaram:* Cùm dixit CHRISTVS Petro, tibi dabo claues Regni Cœlorum, tranſiuit in alios Apoſtolos uis poteſtatis huius, & ad omneis Eccleſiæ Principes decreti huius conſtitutio com-

Ambroſ.

Leo.

commeauit. Sed non frustra uni commendatur, quod omnibus commendatur. Petro enim ideò hoc singulariter creditur: quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur. *Audite, & quæ testificatur Basilius ille Magnus; quem uetustas illa sanctissima admirabatur.* Hoc ab ipso CHRISTO docemur, qui Petrum post se Ecclesiæ suæ Pastorem constituit. Petre enim, inquit, amas me? pasce oues meas. Et consequenter omnibus Pastoribus & Doctoribus eandem potestatem tribuit. Cuius signum est, quod omnes ex æquo ligant, & absoluunt, quemadmodùm ille. *Nec pigeat audire Cyprianum haud minore dignum admiratione, cùm exponeret uerba illa Domini, Tibi dabo claues regni cælorum.* Dictum hoc, *inquit*, est Petro, non quòd illi soli dederit potestatem, quam parem cum illo omnibus Apostolis dedit: sed, ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. *Hos, Patres amplissimi, testes nostræ sententiæ uobis damus, adeò graues, adeò sanctos, adeò locupletes, quibus in toto Christiano cœtu nihil grauius nihil sanctius, nihil locupletius reperiri possit; ut desistant, qui secùs sentiunt, diuinum præceptum interpretari contrà, quàm hæc quinque clarissima & doctrinæ & sanctitatis Christianæ lumina, quatuor Episcopiæ dignitatis ornamenta præclara, ac nun-*

Basilius.

Cyprianus.

nunquàm defectura, quintum etiam sedis Apostolicæ summum æternúmque decus, intelligendum esse ostenderunt. At instant asseuerare Ecclesiastico iure, non diuino Antistites creari: cùm Apostolos dũtaxat CHRISTVS *cõperiatur Episcopos constituisse, Petrum quidem singularem in modum; cùm eum sanè unum pascere oues suas iussisset: omnes autem pariter; cùm eos ad Euangelium prædicandum, atque ad uniuersum genus hominum de uiâ salutis docendum, misisset; alium pretereà neminem. Cæteros Apostoli, qua præditi erant* CHRISTO *auctore potestate, ut Petrus Marcum, Paulus Timotheum, Ioannes Polycarpum, instituerunt.* Obiicitur.

Actum agunt isti, Patres Amplissimi. Vt enim, cùm Apostolos Sacerdotes creauit, Sacerdotium Deus in Ecclesiâ perpetuum, iuxta ritum, quem Melchisedecus tenuerat, instituit: ita, cùm eosdem ille Episcopos constituit, ordinem Episcoporum in Christianâ Rep. perpetuò permansurum fundauit: quódque uni, ut exposuimus, Petro; quod omnibus æquè Apostolis iussum est; id etiam, quotquot futuri erant Episcopi, omnibus pariter imperatum esse maiores nostri intellexerunt. Refutatur.

An, quia solis Apostolis Dominus dixit, Hoc facite, *non omnes item iussit hoc facere Sacerdotes? Omitto illud, quod est potiùs libertate loquendi abutentis, suóque ingenio indulgentis, quàm rationem ad consideratè scribendum adhibentis; cùm asserunt à Romano Præside, non à* CHRISTO, *qui Episcopi creantur, ut Episcopi* Obiicitur. Refutatur.

copi sint, habere: quasi eos non Dei mandato, non ut administrator, quanquàm maximus quidem, summámque habens potestatem, non ut mandátis iussa exequatur, Pontifex Romanus uel eligat, uel confirmet. quandoquidem eâ de re satis disceptatum est, ubi ostendimus à Domino Episcopum, cùm ille consecratur, in amplissimo dignitatis gradu locari. At, inquiunt, ut philosophari uideantur, non ἀμέσως. (utor Græcâ uoce, quia Latinâ caremus, nisi proximè dicamus) Immò uerò proximè, & ἀμέσως: Deus est enim princeps causa, atq; hoc in genere ita princeps, ut unica sit ac singularis. Pontifex autem Maximus, quin causarum administrarum quidem, sed efficientium primaria sit; atque adeò primaria, ut à se tanquàm diuinæ potestatis uicariâ cæteræ omnes pendeant, sibíque pareant; dubitat eorum, qui rectè sentiunt, nemo. Atque eo quidem Vicario, ut administrorum omnium Principe, in mysterijs administrandis utitur Deus. Sed attendite, quæso, Patres optimi, quem in modum illi, ut nos

Obiicitur. *decipiant, contendant. Cùm enim Pauli uerba illa exponerent*, In quo uos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei: *Spiritu sancto fieri, Apostolum aiunt intellexisse, quòd Antistites ritè agunt. Quasi idem sit Episcopum consecrari, ac cætera omnia, quæ Antistites tractant,*

Refutatur. *administrari. Atqui non Ambrosius, non Augustinus, non Hieronymus, non Chrysostomus, non Gregorius Pontifex Maximus, non Damasus, non-*

dum quiſquam ſanctiſſimorum patrum hunc locum ita interpretatus eſt, qui in manibus Antiſtitis à Deo intellexerit Epiſcopum creari. Quomodò Pauli præceptum intelligatur, proferatur Auguſtini interpretatio. Nam nemo ignorat Epiſcopos ſeruatorem Eccleſiæ inſtituiſſe. Ipſe enim priùs, quàm in cœlum aſcenderet, imponens manum Apoſtolis, ordinauit eos Epiſcopos. Hoc Apoſtolus Spiritui ſancto aſcribit, cùm dicit, Attendite uobis & uniuerſo gregi, in quo uos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Domini IESV. *Nimirùm Spiritus ſanctus, Spiritus* CHRISTI *eſt. At normam, regulámque gregis cuſtodiendi à ſummo Præſide debet accipere, qui Epiſcopus inſtituitur. Nempe quàm tradidit Dominus noſter* IESVS CHRISTVS; *quam ille poteſt declarare, mutare non poteſt. At eſto, inquiunt, Pontificatus à Deo ſit genere quodam inſtitutus; atque curatio, ſi ad genus ſpectetur, cùm eo diuino iure apta ac nexa. Cùm autem huic, illi, hoc, illo loco Romani Pontificis arbitratu defertur, nemo inficiari poteſt ab eo, non à* CHRISTO *proximè deferri. Verùm enim, ſi genera cauſarum diſtinxeris, facilè erit, ut intelligas à* CHRISTO, *ut à principe causâ, uímque primariam habente; à Pontifice Maximo, ut à cauſâ adminiſtrâ atque uicariâ, proximè committi. An ius matrimonij, quæ maris cum fœminâ legitima coniugatio dicitur, ita diuinum eſt; ut, cùm hic hanc coniu-*

Auguſt.

Obiicitur.

Refutatur.

Obiicitur.

Refutatur.

Obiicitur.

coniugem ducit, ille illam, Dominus dicat, Quos Deus coniunxit, homo non separet: *ius coniugij, quo hic Episcopus cum hac Ecclesiâ, ille cum illâ ritè ac sanctè coniugatur, tu diuinum esse negas? cùm eò diuinius hoc illo sit habendum, quò spiritus carne præclarius quiddam est. Quandoquidé illud connubium in sensu carnis positum, infixúmque est: hoc ab omni concretione mortali disiunctum atque remotum, in spiritu omnino totum nititur. Quid si id illis assentiamur? num sequitur uniuscuiusque Episcopi dignitatem, ac munus iure diuino neutiquàm teneri? An non Dei mandato defertur? nisi arbitraris à Deo Pontificatus speciem, quam Plato Ideam uocat, esse constitutam: quæ, etiam si in singulis non appareret, in se ipsâ præclariùs eluceret, præstantioremque uim haberet: ut res omnes mente cœlesti diuináque notione comprehensæ, omni æternitate continentur, statúque permanent meliore: quamuis, ubi sub aspectum uenerint, óccidant. Num eam ille inuenit, ut in se ipsâ consisteret, non in singulis exprimeretur? atqui in Apostolis eam expressit, atque in ijs, qui subsecuturi erant, ut effingeretur, mandauit. An non genus ita in singulis seruatur, ut his omnino demptis, illud quoque prorsus demi oporteat? nemo Episcopus instituatur; tollatur necesse est ordo Episcoporum:* Obiicitur. *nisi censes in uno speciem rei, non in pluribus reperiri; ut in Phœnice (si credimus, quæ de illâ aui Græci scriptores commenti sunt) ut in Sole, in Lunâ*

na, in singulis sideribus, quæ errantia uocantur, ut in singulis illis mentibus, quæ cæli orbes mouent, quemadmodum Peripatetici docent, ut in singulis illis rerum primordijs, quæ appellantur elementa, singulariter suam cuiusque formam atque naturam: ita Episcopi ordinem in uno, nempe in Pontifice Romano seruari. Quàm pietatis Christianæ sit hoc affirmare, quàm ab Ecclesiâ receptum, quàm maioribus nostris probatum, qui audet fateri, uiderit. Quid? ius naturæ, quod in homine procreando Deus principio statuit; cùm hic homo illum hominem gignit, in eo generando uim suam non retinet? aut qui gignitur, non eâ nascitur lege? cùm eiusmodi ius in Episcopo creando seruetur, quod à principio non differt, quid est, ut si illud diuinum est, hoc non sit diuinum? At, diuinum si esset, Ecclesiasticam præfecturam, ac potestatis usum Episcopo summus Pontifex adimere sine causâ nequiret; ac, si adimeret, non ualeret, neque quippiam haberet firmitatis. At ualet, neque est, quî irritum fieri id possit. Nihil est, ut mirum hoc esse uideatur: cùm summam eius uim lex nulla sit, quæ coerceat, nec affectus iniuriâ, qui iure diuino cogitur parêre, habeat nisi Deum, quem appellet, atque obtestetur. Is audit appellantem; et, cùm iudicium faciet, quod illi iniquè acciderit, se ratum non habuisse ostendet. Attendite, Patres amplissimi, præstigias, uidete fallacias, quibus cùm illi alios decipere nituntur, se ipsos decipiunt. Putant enim nos hallucinari,

Refutatur. Obiicitur. Refutatur. Obiicitur.

ri, ac falli: quòd, cùm Pontificatus sit à Deo constitutus, siquis Pontifex huic, illi Ecclesiæ præponitur, existimamus à Deo proximè præponi, dum Ecclesiæ suæ consecratur. Quasi verò nemo Episcopus statuatur, cui non manus eius aspectabilem in modum accesserit. An non mirificâ quadam ratione, quæ oculos hominum fugit, in eum manus sanctissimas porrectas admouerit, spiritúmque diuinum afflârit; cùm, eum qui consecrauerit, in caput manus sub aspectum cadentes, uel Maximus Antistes, uel suo quiuis alius nomine, ut administrator, porrexerit? nisi putas, quem ad cõstitutum diẽ ut administer absoluit Sacerdos, à Deo proximè absolui: quem Episcopum cuidam Ecclesiæ consecrat Pontifex Maximus, non proximè à Deo consecrari. Quamobrem meritò consequitur, ubi Episcopo alicuius Ecclesiæ præfectura fuerit delata, ut iure diuino ita ad residendum in eius administratione compellatur, ut non sit integrum Pontifici Maximo præcipere, quod Dei mandato aduersetur; & eum à præstandis officijs, quæ suæ debet Ecclesiæ, remoueat. At instant ieiunitatem cibi opponere: quod non semel confutatum est. Instant obijcere in Rep. magistratus iure naturali esse constitutos: nec tamen sequi, ut hic, illéue magistratus eodem iure statuatur. Quemadmodùm etiam consequens non est, ut, quia rerum omnium, quas Deus creauit, nihil tam præstans, támque præclarum, quàm homo est; nihil sit tam præstans, támque præclarum, quàm hic, illéue homo: ita

Refutatur.

Obijcitur.

ita falsò nos argumentari, hunc, illúmue Pontificem à Deo proximè creari; hunc, illúmue Pontificatum proximè institui: quia proximè Pontifex ab eo creatus eſt, proximè Pontificatus inſtitutus. At uerò, quæ illi ſumunt, ſi hunc in modum ſumantur, magiſtratus, ut magiſtratus eſt, iure naturæ fuit conſtitutus; & rerum omnium, quas Deus creauit, nulla reperitur, qua homo, ut homo eſt, nobilior non ſit: ſine dubio conſequatur, hunc, illum magiſtratum, ut magiſtratus eſt, iure naturæ eſſe conſtitutum; atque hunc, illum hominem, ut homo eſt, rem nobiliſſimam eſſe. Vt planè ſequitur hunc, illum hominem, ut eſt particeps rationis, Dei ſimilem haberi; cùm homo, ut eſt particeps rationis, Dei ſimilis habeatur. Quamobrem rectè concludimus, hunc, illum Pontificem, ut Pontifex eſt, à Deo proximè conſtitutum eſſe; hunc, illum Pontificatum, ut Pontificatus eſt, à Deo proximè inſtitutū; hanc, illam ouium ſuarum adminiſtrationem, ut ouium ſuarum adminiſtratio eſt, à Deo proximè delatam: propterea quòd proximè à Deo Pontificem, ut Pontifex eſt, conſtitutum eſſe; Pontificatum, ut Pontificatus eſt, inſtitutū; ouium ſuarum adminiſtrationem, ut ouium ſuarum adminiſtratio eſt, delatam, nemo eſt, qui non affirmet: tametſi hunc, illum in ordinem Pontificum ſummus Pontifex eligit; hunc, illum Pontificatum inſtituit; hanc, illam ouium CHRISTI *adminiſtrationem tribuit. Atque, cùm primùm curationem gregis ſuſcepit Epiſcopus, adeò*

Refutatur.

CHRISTO *Domino fidem obstringit, ut eius mandato ad pecus pascendum residere cogatur. Quapropter liquet, eos suis fallacijs deceptos esse; non sanè quidem nos, qui sanctissimorum Patrum sententiam simpliciter tenemus; ipsámque ueritatem nudam, purámque amplexamur; non captiosè inuertimus, non immutamus. Nec possum satis mirari, ab ijs planè assertum iri, Antistitem, ut primùm Pontificialem magistratum inierit, diuino iure ad parendum Romano Pontifici, qui ex uniuerso grege sibi commisso, oues aliquot ad pascendum impertiuit, atque in partem laboris uocauit, compelli: non eodem iure Deo parêre cogi, eiúsque de pecore pascendo præceptum seruare: quasi nunquàm Dominus id mandauerit. Quocircà, cùm argumentorum sedes, quibus illi hanc ueritatem obliterare, ac potiùs delere conantur, in personâ, atque in loco, ac tempore positæ sint; quasi quæ Deus præcepit nullâ in personâ, nullo tempore, nullóque loco essent seruanda: uidete, Patres optimi, quàm opinione fallantur. Esto,* Obiicitur. *diuino iuri seruando tempus quoddam certum, certúmque quendam locum Ecclesia præscribat: num Deus ita præcepit, ut non aliquo tempore, non aliquo loco præceptum seruari oporteat? An non Deus* Refutatur. *mandauit, ut Sacerdoti suo tempore, suóque loco, nempe cùm opus fuerit, peccata confiteamur; ac septimum quenque diem sibi colendo omnino utique tribuamus? Cùm Pontifex Maximus confitendi tempus, locúmque præfinierit, nónne animaduertit iam*

iam tum id opus eſſe, quod Dominus mandauerat? Cùm Deo, quem Soli gentes diem attribuerant, con ſecrauit; nónne hunc, quo Sol iuſtitiæ ſurrexit ad diem lucis æternæ, uitæque immortalis initium affe rendum, ſeptimum eſſe diem, quem ſibi ille conſtituto quidem æuo totum conſecrandum imperauerat, declarauit? An, qui tempore, locóque præſtituto de peccatis ſubit iudicium Sacerdotis; qui diem illum ſeptimum ſanctè religioséque colit, non Dei præcepto paret? Nec uerò, quia ritum ſacrorum non ſemel Eccleſia uariauit, ſacra ipſa mutata ſunt. Nec, quia non eodem omnino ritu in re diuinâ faciendâ Græci, atque Latini utuntur, non idem ſacrificium eſt. Nec, quæ in mirabili myſterio lauandi apud uarias Chriſtiani orbis nationes diſſimilitudo reperitur, ſanctæ lauationis naturam mutat. quippe uim rei neque tollunt, neque uariant, quæ accidunt, quæque ad materiam ſpectant: quæcunque porrò tempus, quæ locum, quæ perſonam attingunt, accidere dicuntur. Quia uerò id eſt eiuſmodi, cùm hunc, illum Epiſcopum creat Pontifex Romanus; huic, illi Eccleſiæ præponit: nihil profectò eſt, quin iure diuino conſtringatur, quod Deus conſtituit. Conſtituit autem, quod ipſi etiam confitentur, Pontificatum, curationémque animarum. Quamobrem quiſquis Pontifex creatur, facere non poteſt, quin prò officio præſtando, ac pro hominum grege paſcendo, non lege diuinâ obſtringatur. At non ſequitur, ut in eo munere obeundo reſidere co- Obiicitur.

gatur: cùm profectò nihil intersit, per aliúmne, an per se ipsum id exequatur. Nam tritum uulgari sermone illud est, qui per alium agit, per se ipsum agere uideri. Refutatur. *Rectè sanè quidem dicitur uideri; cùm esse, quæ non sint, non pauca uideantur: eiusmodi hoc genus est, in quo, qui per alium agit, per se ipsum re uerâ non agit.* Obijcitur. *Atqui non desunt, qui uel ipso Episcopo sint prudentiores, doctrinâque ad populum docendum, atque ad omne reliquum munus instructiores; quorum ille operâ si in pecore compascendo uteretur, Ecclesiæ longè meliùs prouideret.* Refutatur. *Raró quidem hoc usu uenit, adeóque raró, ut neutiquàm admitti, tanquàm huic negotio accommodatum, oporteat. Immò uerò, qui, quod debet, officium præstare nescit; quia, cùm id sumpsit, grauiter peccauit; admonendus esset, ut Pontificatu se abdicaret: ac, nisi obtemperaret, etiam cogendus. Sal enim si euanuerit, quid relìquum est, nisi ut proijciatur, & conculcetur? Atque, scientiam qui repuleris, te, inquit Dominus, repellam, ne mihi Sacerdotio fungaris. At, si dederimus Episcopo, ut ferè fit, in Euangelio prædicando doctiores adhibendos esse: num concedemus, ut ille obmutescat? Annon interpellabit nos illud Esaiæ, atque obloquetur,* Canes muti? *Num, ut ad ad Vicarium omnem rem conferat, ipse aliud agat: quasi hic præfecturam Ecclesiasticam, non ille ipse susceperit? Atqui Dominus non sic boni Pastoris officium definiuit. Num, ut, quod per se ipse possit, efficere negligat? nam,*

nam, etsi Vicarius, præsertim in magnâ diœcesi, constituendus est; hic tamen se Episcopi adiutorem, non Episcopum esse meminerit: ut, cùm ille in primariâ resideat Ecclesiâ, hic ipse, quod reliquum est, inuisat, inspectet, intelligat, ad eum denique referat; ut prudenter, & consultò res tota peragatur. At non desistunt contendere, ut probent se Vicariorum operâ, qui sint ad Ecclesiam regendam idonei, CHRISTI *præcepto satisfacere: cùm dicant* CHRISTVM *pastorum principem nihil à se aliud exigere, nisi ut oues pascant. Nam, quemadmodùm, cùm iamdudum nata esset Ecclesia, & cùm iam etiam adolesceret, adeò pauci, qui pastoris officium exequi possent, reperirentur, ut Episcopi per se ipsos id præstare cogerentur: sic temporibus nostris tam multi abundant, qui ad illud idem munus explendum aptissimi habeantur; ut per eos id omne facilè ac probè queant efficere.* Obiicitur. *Si tam multi periti ad hoc opus comperiuntur, quare non eorum peritissimis committitur? cur omnium fermè rerum inscij, non ij cooptantur? At esto, aliorum labore ouibus bene consultum sit: nam etiam, si ijs pastor in terris non esset, Deus profectò non deesset: num à rectâ conscientiâ non discedit? num officio suo non deest? num purâ integrâque mente sustentatur, qui alteri delegat, quòd sibi mandatum est; modò, ut debet, exequi id possit? An, qui se excusauerit, eius excusationem Deus acceperit? Quanquam ouibus quidem promissa exsoluentur; mali tamen pastores, seu* Refutatur. Aug. de Pastorib.

 negli-

negligentiæ, ſeu ſceleris pœnas dabunt. Iam uerò quem maximè amare debent, tantùm abeſt, ut diligant, ut, in qua re ille erga ſe eorum amorem poſcit, hanc omnino negligant. Amant Deum: paſcant ipſi eius gregem, non alijs paſcendum committant. Id ſanè charitatis, id amoris erga ſe ille, cùm ter à Petro popoſciſſet, à quocunque item ouium ſuarum paſtore poſtulauit. Aliud profectò eſt nihil, quo ſuam erga eum pietatem præſeferant: id unum denique habent, quo à ſe eum amari declarent: nimirum quod in eius pecore paſcendo poſitum eſt, etiam ſi eſſent mortem pro ouium ſalute obituri. quod uitæ diſcrimen pro eo grege paſtor ſubierit, quem numquàm, aut rarò inuiſit? An qui dominantur, rerúmque potiuntur, iure naturali per ſe ipſos, quod cuiusque munus exigit, ad præſtandum compelluntur: Epiſcopi, quam quiſque Eccleſiam ſuſcepit, eodem iure adminiſtrare per ſe ipſos non debent? Erubeſcat enim oportet, ut Paulus condocefacit, qui in operis Eccleſiæ non eſt: atque, ut ille idem auctor eſt, qui nihil ſuſcipit laboris, comeſſe non debet. An Eccleſiaſtici miniſtri, qui in Eccleſiâ nihil nauant, nihílque elaborant; eo pane ueſcantur, qui operis ſit conſtitutus? Si Antiſtiti, quod ipſe officium exequi debet, alteri delegare fas eſſet, cùm uel minimè idoneus quiſque id præſtare poſſet; quid eſt, quod in eo deligendo tot conciliorum decretis, tótque Maximorum Pontificum conſultis cautum eſt, ut diligentiæ ſtudiíque plurimùm ponatur? Quid deindè eſt, quod tan-

Aug. ex Sermone de tempore.

2. Tim. 3.

tantoperè uniuerſæ præſes Eccleſiæ de creandis Epiſcopis laboret, ſi licet cuique ſuum munus delegare? An non ille meliùs delegaret? Tollat, ſi poteſt, ordinem Epiſcoporum, ut ſuperuacaneum: Vicarijs utatur, qui munia, quorum ille cauſâ inſtitutus fuerat, obeant. Sin minùs poteſt, ne ſinat eos uagari, in Regiâ ſpatiari, Regia negotia gerere, Romæ domicilia, fortunáſque ſuas collocare, à ſuis præfectu ris abeſſe, quod ipſi per ſe executuri eſſent, per alios præſtare. At Auguſtinum Valerius ſibi ſubſtituit. Obijcitur. *An ætate confectus, cùm ſibi uires deeſſent, ad grauiſſimum onus ferendum non meritò ſibi adiutorem adſciuit, nequid iacturæ Eccleſia faceret?* Refutatur. *Nec ita collegam ſibi ſurrogauit, ut à grege diſcederet; & otioſâ ceſſatione frueretur. quin etiam, cùm perſpectum haberet paſtoris præſentiam, & uigilantiam pecori paſcendo neceſſariam eſſe; eum ſibi ſocium ad ſcripſit: qui, quod ipſe præſens obire non poterat, expleret. Nec uerò id ita ſe habet; ut, quemadmodùm res priuatas, ſic etiam publicas unicuique liceat per alios adminiſtrare. An qui Prætores, qui Conſules, qui Duces creantur, præſertim quibus pro magiſtratu obeundo ſtipendia penduntur; quas ſuſceperunt prouincias, ijs nefas eſt alios in earum adminiſtratione ſubſtituere: Epiſcopis ſuas diœceſes alijs delegare fas erit? Ab ouium curatione ſine earum utilitate abeſſe licuerit: quas quæſitum de cœlo Deus deſcendit, inuentáſque uitæ iacturâ, ac pretioſiſſimi ſanguinis impensâ ſibi comparauit? At* Obiicitur. *urgent,*

urgent, Paulinúmque Nolanum Episcopum omni præditum sanctitate obijciunt; qui, quemadmodùm à Magno Gregorio memoriæ proditum est, ut unam ex ouibus suis à prædonibus captam reciperet, reliquo pecore deserto, tum se spóte in piratarum manus coniecit. Neque enim si diuinâ lege præscriptum esset, ne quis à grege discederet, Antistes ille omni uirtutum genere cumulatiss. non minimo eius periculo seruitum isset. Refutatur. *An non Principem pastorum Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM *imitatus est; qui, ut unam, quæ perierat, inueniret, nouem ac nonaginta oues reliquit?* Obijcitur. *At ille sibi eá inueniendam esse non ignorabat: hic, cùm haud quaquàm nosset, an ouiculam suam liberaturus esset, cur pecus reliquum omne deseruit?* Refutatur. *An communi hominum conditione specimen sanctitatis, quod in illo Pontifice elucebat, æstimamus? Nónne prærogatiuâ quadam id factum potiùs putandum est; ut illi Deus, cùm aurem animi clàm uelleret, quod erat futurum, aperuerit? quod coniecturâ, licebit, assequamur; si rectè, quod secutum est, animaduertemus. Neque enim grex relictus detrimenti quicquam accepit: sed amissâ ouiculâ quæ erat, receptâ, ac plerísque alijs captiuis è seruitute redemptis, ipse incolumis Ecclesiam suam repetiuit. Quippe Deo parendum est, etsi iubet secùs, atque præcepit. Cùm enim ille præcepisset, nequis se paricidio obstringat: eius tamen iussu multæ uirgines, ut docet Augustinus, sibi necem consciuerunt, quas in cœtum sanctorum* Aug. de Ciuit. Dei l. 3. c. 21. *cœli-*

cœlitum Ecclesia cooptauit. Atqui Timotheus Episcopus Ephesinus, ut, quæ Paulus imperauerat, faceret; Ecclesiâ suâ relictâ, alias peragrauit. nam, Apostolo iubente, Ephesо Corinthum, Corintho Romam, Româ Hierosolymam dicitur profectus esse. Multa præterea solent euenire, quibus cogitur Episcopus ab Ecclesiâ suâ discedere. Quid tum? num eam ob rem non diuino iure ad residendum ille compellitur? An eo uinculo hoc ius eum constringit, quo nullam ob causam solutus ac liber abire possit? Nam præceptum de grege pascendo diximus in ijs mandatis, quæ aientia dici solent, recenseri; atque eiusmodi esse, quod, quando, & quantum coerceat, declarari possit. Neque enim inter se pugnant, Dei mandato in custodia pecoris esse residendum, & res euenire, quarum causâ non modò interdum ab eâ discedere liceat; uerùm etiam non semel expediat. Itaque Timotheum, licet, existimemus maioris commodi gratiâ Ephesо abfuisse: ut Episcopi Hispani ouibus suis relictis in hac urbe generalis Concilij causâ septennium consumpserunt: ac iam nunc permulti non unâ è regione profecti biennium agunt. Nec uerò desinunt instare, cùm uni Petro, non etiam cæteris Apostolis de pascendis ouibus præceptum traditum esse nitantur; ac satis mirari non possint Caietanum sibi non constare. Qui Pontificum omnium principem uniuersæque Ecclesiæ præsidem esse Romanum Pontificem cùm probare conatur, mandatum hoc asserit soli Petro datum esse, & quidem

Obiicitur.

Refutatur.

Obijcitur.

de

de officio, quod ita in Romano Episcopo singulare est, ut in alium neminem conuenire possit: cùm autem de Residendo disceptat, uulgare id facit, atque ei cum cæteris omnibus Ecclesiarum præfectis commune.

Refutatur. *Vtrumque uerum est, ac ne illi ipsi quidem possunt inficiari; cùm munus Episcoporum à Deo institutũ esse fateantur. Nam eos meminisse uelim, hanc cauillationẽ, utì falsam, elusam esse, cùm diximus uni Petro mandatum esse, quod uniuersam Rem Christianam attingit: cæteris omnibus in eo, tanquàm in capite, quod ad singulas Ecclesias attinet: quemadmodùm sanctissimi eruditissimíque Ecclesiastici doctores nos utique docuerunt.*

Obiicitur. *Iámque adhuc cauillantur, cùm aiunt, si residendum omnino esset eo mandato, quod Petrus accepit; consequens esse, ut ipse Pontifex Romanus per se ipsum, nõ per alios (quod fieri nequiret) oues Domini pascere deberet.*

Refutatur. *Quid ni? animaduertant, quæso, non dissimilem rationem in omni Re Christianâ gubernandâ, atque in singulis Ecclesijs administrandis tenendam esse: neque in grege pascendo disparem prorsus in Maximum Antistitem, atque in cæteros omneis administrationem conuenire. Pascit oues, qui Remp. Christianam gubernat, cùm residet in Ecclesiâ; quam Petrus, ut Principem uniuersi orbis, sibi elegit. Elegit autem Romam, in qua Apostolicam primariâmque sedem collocaret. Ac propriè priuatímque Romanam præfecturã administrat: reliquas omneis, quas Petrus, quas qui ei successerunt, quas denique ipse constituit, diæceses*

diœceses ita gubernat, ut in singulas præfectos, quéadmodùm Dominus mandauit, mittat, suam cuique deferat administrationem, suæ quenque Ecclesiæ consecrandum curet. Ipse, quicunque ex quauis uel gente uel natione se appellent, ad se confugiant; eos benignè audiat, clementer excipiat, ius omnibus dicat. Tum uerò ex illâ summâ celsâque arce in omnem Christianum orbem oculos conijciat, circunspiciat, prouideat, nequâ in parte Res Christiana damnum accipiat, nequid non rectè agatur, nequid denique præter legem Diuinam, prӕterque Pontificiam accidat. Cæteri uerò, qui singulis præfecturis funguntur, pascant oues, si in primariâ suæ quisque diœcesis Ecclesiâ consideant; reliquis locis parochos præponant, qui suam singuli parochiam administrent: circunspectent omnem regionem; ad se confugientibus aureis patientes præbeant; reliquam diœcesim interdum inuisant; prospiciant denique, ut omnia bene gerantur. Iam uerò boni pastoris definitionem, & quæ illi attribuuntur, negant cuiquam alteri, præterquàm CHRISTO *Domino, congruere; idque uel ipso Caietano auctore confirmant.* Obiicitur.
Atqui testimonia luculentissima nobis non desunt sanctissimorum Patrum, ut planè docuimus, qui ex illâ definitione præceptum de Ecclesiâ regendâ hoc deprompserunt; quo, siquod ei periculum intendatur, Antistitem non modò ad defendendum, sed & ad uitam pro illâ ponendam, compelli uelint. Caietani uerò sententiâ, si rectè eius uerba perpendimus, Refutatur.

dimus, Episcopi non excluduntur, quin in pastoribus queant percenseri. Vnus enim CHRISTVS *propriè ueréque erat Sacerdos: cùm autem ad patrem, de cuius cœlesti sinu prodierat, esset rediturus, Sacerdotes instituit; qui suo nomine, ut ueri Sacerdotes, rem diuinam in terris facerent, hoc est, quorum Sacerdotio atque officio, quod in sacratissimæ crucis arâ cruentum ipse Deo patri soluerat, quotidie ipse idem in altari mirificè repræsentaret. Vnus item* CHRISTVS *propriè ueréque erat Pontifex & pastor, quem unum, non quenque alium, de ouibus cura attingebat. Qui unus erat ostium, quo in caulam introiri oporteret: quicunque alio aditu irrurerant non pastores fuerant, sed fures. Cùm autem ad cœlum esset ascensurus, Pontifices pastorésque constituit; qui, ut ueri pastores, atque* CHRISTI, *aut quidem curæ ipsius* CHRISTI *Vicarij, quæ eius sanè erant oues, tanquàm proprias pascerent, & custodirent; atque hoc munus ita exequerentur, quemadmodùm ipse definierat. Nempe ita eos instituit, ut suam personam omnino in pecore pascendo induerent; & à se magistro, qui pro ouium salute uitam profudit, exemplum, ut boni discipuli, caperent. Itaque sanctiss. ille Antistes, atque eruditiss. acutissimúsque doctor, cùm restrictè elogium illud, quod ad pastorem spectat, obseruaret, atque ad interiorem sensum referret, nec non, in quem per se ac primùm conueniret, ostenderet; quò magis excluderet eos, qui non eßent à* CHRISTO *instituti,*

neque

neque eius personam gererent, eum in modum exposuit. Nam sine dubio Pontifices, qui, quæ sua sunt, non quæ CHRISTI, *agunt; mercenarij profectò, & alieni habendi sunt, non pastores. Illud autem, quod maximè absurdum, ac potiùs impium esset, si boni pastoris officium in* CHRISTVM *tantummodò, non etiam in eos, quos ille Episcopos constituit, caderet; consequeretur, ut Romanus Pontifex pastor non esset: neque ille, neque alius quisquam Episcopus mortem pro ouibus oppetere deberet: neque Petrus, neque Paulus, neque Clemens, neque Anacletus, neque Euaristus, neque Timotheus, neque Polycarpus, neque Ignatius, neque Cyprianus, nec quisquam alius Pontifex (nam dies deficeret antequàm omnes recenserem) ut Dei præcepto pareret, uitam pro Ecclesiâ profudisset. An Dominus, ut de se loqueretur, qui sit bonus pastor, constituisset, eúmque à mercenario, atque ab alieno distinxisset, non ut, qui pastores futuri essent, instrueret. Nam, quod de se dicebat,* Obiicitur. *id sane eò spectabat, ut ijs quidem exemplo, documentóque esset, quibus præcepta dabat. Omitto quæ de tempore, quo* CHRISTVS *in solitudine ieiunus fuit; de ritu, quem in diuinâ carne suâ mysticum in morem ministrandâ, & in poculo propinando seruauit, obijciunt; ut ostendant, non Dei mandato nos urgeri, quò omnia, quæ illæ fecit, imitemur. At hoc quidem certè præcepto cogimur pro Ecclesiâ, cùm opus fuerit, mortem obire: nisi putamus* Refutatur.

Ca-

Catherino magis, quàm Augustino Christianæ doctrinæ summo præsidio; quàm Liberio & Nicolao, qui Pontifices Maximi fuerunt; quàm Aquinati sanctiss. locupletissimóque Doctori, qui doctissimis luculentissimisque scriptis suis Theologiam omnem illustrauit; credendum esse. Ego uerò mallem cum horum quolibet errare; quàm cum illo rectè sentire. Obiicitur. *Quàm longè deindè à uero aberrant, qui aiunt, quæ Apostoli, quæ uates Episcopis præcipiunt, ut ad curationem gregis incumbant, ut uultum pecoris agnoscant, ut cætera officia pastoris exequantur; neutiquàm ad ius diuinum attinere? An mentiuntur uates, qui Dei, quæ ipsi denuntiant, effata esse ut intelligamus, commonefaciunt?* Refutatur. *An ne illi ipsi miserrima supplicia minarentur, uel Apostoli summum cruciatũ à Deo metuerent, nisi ille id mandauisset? Nec dum enim iure Ecclesiastico eâ de re consultum erat, quò uel eadem esset, uel alia pœna metuenda.* Obiicitur. *At non omnia, quæ Apostoli præcipiunt, in diuinis præceptis recensentur.* Refutatur. *Atqui Augustinus, Hieronymus, Gregorius Magnus, Ambrosius, Chrysostomus, Basilius, cæteri omnes sanctissimi locupletissimique scriptores, quæ Petrus, quæ Paulus Episcopis mandat, in Dei mandatis percensent.* Obiicitur. *Iam uerò comminiscuntur Apostolos, ut Apostolos, non etiam ut Episcopos, fuisse ad Euangelium per se ipsos prædicandum compulsos: tum quia prædicandi munus Apostolicæ personæ tribuebatur; tum quia tempora illa id exigebant; cùm fides Chri-*

stiana

stiana esset peruulganda, conserenda, communienda, defendenda, ne à turbâ infidelium gentium, ne ab Iudæis, ne à sectis (quæ iam tum exoriri cœperant) eorum, quos Apostolus falsos fratres appellat, damni quicquam acciperet. Quarum profectò rerum cùm omnino nulla sit, quæ hoc seculo urgeat, etiam si in officium prædicandi Apostolis Episcopi, quod ipsi inficiantur, successerint: necesse tamen eis non est per se ipsos prædicare. Commenta sunt ista, Refutatur. *patres Amplissimi, ne dicam somnia, non quæ diuino spiritu incitati et Apostoli et Vates cernebant, atque narrabant; sed anilia potiùs, uisisque similia delirantium: cùm soluere nequeant, quo constringuntur. Nam quem auctorē proferre possunt, qui hoc idem senserit? qua ratione, ut hoc ipsi asserant, adducuntur? nam dicere, sit pro ratione uoluntas, nisi imperandi summâ potestate excellat, non est hominis admodùm prudentis; sed uel insanientis; uel ius, quod non habet, sibi arrogantis. At Paulus Timotheum, quem* CHRISTVS *Apostolum non instituerat, iussit prædicare; cùm apertissimè eum, quæ ad Episcopum spectarent, ut maiores nostri intellexerunt, doceret: cuius præceptum Ecclesia secuta instituit; ut, qui consecrat, Episcopo, qui consecratur, Dei nomine præcipiat, ut eat prædicatum. At populo Dei, non sanè gentibus, quæ* CHRISTO *non credunt.* Obiicitur. *An non erant ex populo Dei, quas Dominus noster* IESVS CHRISTVS *oues suas appellabat; cùm diceret se alias* Refutatur.

oues habere, quæ nec in Iudæorum grege percensebantur, nec dum in cœtum eorum, qui sibi sanctè ac religiosè fidem adhiberent, ascribebantur. Quare, si opus esset, oporteret sanè à Pontifice Maximo uel in Asiá, uel in Africam ad populum CHRISTO *acquirendum Episcopos mitti, qui Euangelium perulgarent; ut Apostolos, in quorum locum surrogati dicuntur, sectarentur. Nec me præterit quædã in Apostolis propria ac singularia, quæ in Episcopos non conueniunt, extitisse. In his autem, quod in prædicãdo positũ est, minimè ascriptum comperitur: sed ad Pôtificem per se ac primùm attinere. Diuus Thomas grauissimus auctor testatur. Recitat testimonium sanctissimi atque eruditissimi doctoris.*

3 q. lxvii. Ar. 2. ad p. arg. Vtrunque officium, scilicet docendi & baptizandi, Dominus Apostolis iniunxit. quorum uicem gerunt Episcopi: aliter tamen, & aliter. Nam officium docendi commisit eis CHRISTVS, ut ipsi per se illud exercerent, tanquàm principale. Vndè ipsi Apostoli dixerunt, Nõ est æquum nos relinquere uerbum Dei, & ministrare mensis. Officium autem baptizandi commisit Apostolis, ut per alios exercendum. *Ac, ne arbitreris, docere aliud esse, atque Euangelium prædicare; audi, quæ sequuntur.* Vndè & Apostolus dicit in primo capite Epistolæ prioris ad Corinthios; Non misit me CHRISTVS baptizare, sed Euangelizare. & hoc ideò, quia in baptizando nihil operatur

meritum

meritum & ſapientia miniſtri, ſicut in docendo. *Cùm enim ille quæſtionem tractaret, an ſancto religioſóque ritu abluere ſit Sacerdotum; argumentabatur Epiſcoporum munere id contineri: cùm uno, eodémque præcepto tum abluendi, tùm docendi, ac prædicandi officium Dominus detulerit: docere autem, quod eſt perficere, quẽadmodùm à Dionyſio Areopagita didicimus, ad Epiſcopum ſpectet. An placeret, ut ſicut abluendi opus Sacerdotibus Epiſcopi omnino reliquerunt, ita & prædicandi in alios reijcerent? At Eccleſia Religioſorum ordines, quibus prædicandi poteſtas daretur, inſtituit. ac licuit ſemper Epiſcopis, ſempérque licebit, alios in hoc munere ſurrogare; præſertim cùm per alios longè præſtantiùs, quàm per ſe ipſos id agi animaduertant: ut documento nobis eſſe poteſt Valerius Hipponenſis Antiſtes; qui Auguſtinum ſibi collegam adſciuit, quem in docendo ſibi, ac cæteris præſtare perſpexit. An non illud Epiſcoporum uitio factũ eſt? principio enim homines religioſi, cùm ſanctè caſtéque in ſolitudine uitam agerent, ad oues Domini compaſcendas, ab eâ pauci deducebantur. poſtquàm autem mores Sacerdotum deprauati ſunt, relictíſque Theologiæ ſtudijs, ſe eis dědere permulti perrexerunt, quæ ſibi eſſent ad opes quærendas accommodatiora; in ciuitates aduocari cœpti ſunt, non modò ut, quod Epiſcopi negligebant, ſupplerent; uerùm etiam, ut eorum collegium complerent. Alterum porrò uſu ita uenit, ut ius diuinum*

Matth. ult. Eccl. Hier. 5. & 6.

Obijcitur.

Refutatur.

non perfringat, qui uel eâ necessitate urgeatur, quæ ad Augustinum sibi substituendum Valerium impulit; uel rerum, quæ non minimi sint momenti, occupatione teneatur; uel abesse à suâ diœcesi cogatur; uel ingenij impedimentis inhibeatur; uel de officio quauis aliâ denique ratione reuocetur: modò ne ipse commoditatis suæ, uoluptatísque causâ à munere suscepto recedat; sed, quod potest, id saltem exequatur. Nec uerò non ea temporum nostrorum est infelicitas, ut, quamuis ad barbaras gentes docendas eundum non sit, non sanè quidem desunt, qui ad ueritatis cognitionem, atque ad resipiscendum deducendi essent: cùm tot dissensiones in Christianorum orbe, tot scholæ, tot sectæ à ueri perspicientiâ remotæ, ad ueterem probatámque uniuersæ Ecclesiæ fidem labefactandam, atque ad sanctissimæ sedis Apostolicæ maiestatem imminuendam emerserunt; quæ Antistitum curâ diligentiâ, studio, doctrinâ, sanctitatis denique exemplo essent conuellendæ, ac radicitùs extirpandæ. Nec dubitandum est, quin, si suâ quisque in præfecturâ Episcopi consedissent, nunquàm ab Ecclesiâ Romanâ tam multæ nationes defecissent. Neque enim nefarij, gloriæque humanæ cupidi homines res nouas moliri ueriti non essent: neque uim ullam habuissent populos à uerò Dei cultu auertendi. Sed esto, nulla sit hæresis in omni cœtu Christiano, nulla falsa opinio, nulla denique superstitio delenda; an corrupta interdum principum consilia, fœda populorum

pulorum studia, dissoluti Sacerdotum mores non ita efferuescunt, ut omnia propè prodita profligatáque sint? non altè adeò radices egerunt, ut igni gladióque illo, quò oracula Domini accincta in hominum mentes immittuntur, non sine maximo labore exuri excindíque possent? Sileant igitur, qui Vicarios uim hæc agendi obtinere arbitrantur: qui nouas eorum magnoperè probant Antistitum introductiones, qui nomen Pontificatus adipiscuntur, non Pontificatum. quippe titulo alicuius earum Ecclesiarum, quæ euanuerunt, ornantur. Nam, siue Pontificum incuriâ, siue rerum humanarum euentus eos introduxerit, ne deesset, qui locum uel negligentis Episcopi, uel absentis, uel quauis causâ impediti expleret: in ijs rebus id habendum est, quæ accidere dicuntur; nō quæ per se, ac necessariæ sunt. Quæ uerò accidunt, rei naturam non mutant. naturâ enim comparatum est, ut qui Rem Ecclesiasticam, non secùs, atque qui publicam capessit, per se ipsum, non per alios eam administret. Illud porrò liquet, ut Vicarijs Pontifices etiam præsentes uterentur, ex eo factum esse; quòd, cùm ipsi ad quæ præcipua sunt, nec alterius operâ præstari possent, incumberent; consentaneum fuit, ut, quibus reliqua committerent, haberent. Agite uerò, perspicite; quanta eius sit inconstantia; qui, ut uitaret, uim argumenti, à consuetudinis loco deprompti; cùm argumentaretur Caietanus consuetudine præscribi posse, ne in munere obeundo Episcopus resi- Obiecta diluuntur.

deat, nisi diuino iure id cautum esset: inficiatur hoc posse præscribi, quod lege prohibeatur Pontificiâ, quam consuetudo rationis aliena nequit euellere. Atqui non semel ille idem fatetur ratione haud quaquàm carere, si per alium exequaris, quod per te ipsum efficere debeas: propterea quòd, qui per aliũ agit, per se ipsum agere uidetur. Quamobrem, cùm ea consuetudo in ratione, quam in primis ille probat, sit constituta; consequeretur, quemadmodùm, eruditissimus ille Pontifex decus cùm uniuersæ religionis Christianæ, tum eorum, qui doctrinam Aquinatis profitentur, argumentatur; ut ad residendi præceptum tollendum, si Ecclesiasticum, nõ etiam diuinum esset, temporis præscriptio, quod humanis in rebus dominatur, ualeret. Videte etiam, quàm ijs, quæ ille sumit, quod concludit, aduersetur. Sumit, à Domino et ordinem Episcoporum institutum esse, & officia constituta: ac iure diuino compelli, uniuersæ quidem Ecclesiæ præsidem ad Episcopos creandos, ad præfecturas Ecclesiasticas eis deferendas, ad præcipiendum, ut in munere exequendo resideant; ipsos autem Episcopos ad parẽdum. Concludit Ecclesiastico, non etiam diuino præcepto ijs esse residendum. Quisnam uel Dialecticæ ignarus non animaduertat; si nihil aliud est parêre, quàm quod præcipitur, obire; iure autem diuino Episcopi Pontifici Maximo parêre coguntur; consequens esse, ut quod ab eo sibi præcipitur, iure diuino obire cogantur: cùm autem iure diuino ille,

ut

ut reſideant, præcipere cogatur; eodem iure hi reſidere cogantur, oportebit. Ac, ne obijciant, non concludi iuris eſſe diuini, quod mandatur; addite, cùm imperatur, quod à Deo conſtitutum eſt, id ius diuinum attingere. Imperari autem, quod à Deo conſtitutum eſt, quippe ouium curationem, quam & conſtituit Deus, et iuſſit Epiſcopos adhibere. Itaque iure illos diuino urgeri, ut ad ouium curationem incumbant; cùm ſibi à ſummo Pontifice mandatur. Nec, ſi Dei mandatum non eſſet, ut ad paſcendum gregem reſideamus, hoc ille iure diuino nobis præcipere cogeretur. Nam quis Domini mandato ad imperandum compellitur, quod ille non mādârit? Perſpicite deindè, quàm rectè explicet argumentum, quod ab obligatione ſumitur. Si propterea, inquit, quod iure diuino ſtatutum eſt, ut operario merces pendatur, opus eodem iure mandaretur; conſequeretur, ut omnes artes, etiam illiberales, ad hoc idem ius attinerent. At ſumat, quod uerum eſt, cuius quidem operis causâ à Deo uectigal conſtitutum eſt, atque Dei mandato debetur; hoc certè Dei mandato eo munere fungenti deberi: neceſſe ſit, concludat Dei mandato officium, cui uectigal Deus ipſe aſſignauit, Sacerdoti fungendum eſſe. Num Religioſis uiris, qui multis poſt ſeculis munus prædicandi ſuſceperint, à Deo merces aliqua, ut prædicatum eant, præſtituta eſt? num ſutoribus, ut calceos ad pedes ueſtiendos moliantur? num cæteris operarijs, ut ſuum quiſque

opus, efficiant? Quanquàm singulis ad operas conductis, laboris causâ stipendium iure diuino persoluendum est. quandoquidem scriptum est, operarium dignum esse mercede suâ. O acutum hominem ô acrem Dialecticum: cùm ea nobis attribuat, quæ si concederentur, multa absurda inferri oporteret.

Obiicitur. *Atqui rationem illam, quæ in Episcopi cum Ecclesiâ coniugio fundatur, ita demoliuntur. Si Episcopus iure diuino cum Ecclesiâ coniugaretur, nunquàm ab eâ separari posset. at Pontifex Romanus potest hunc ab illâ separare. illud igitur coniugium non diuino iure tenetur.*

Refutatur. *At, etiam si separetur, coniugium non soluitur: quemadmodùm nè si uir quidem à coniuge suâ seiungatur. Vt enim illa hominum coniugatio nunquàm tolli potest, ut primùm legitimè coniuncta est: sic nunquàm Summus Pontifex efficiet, ut uinculum illud summæ coniunctionis rumpatur; quo, tanquàm sponsus, cum Ecclesiâ Episcopus copulatur: ita arctâ; ita sanctâ, ita religiosâ necessitudine fit illa copulatio, cùm eidem ille consecratur. Consecratur autem hoc iure, ut ad cuiuscunque loci Ecclesiam eius potestas ac munus applicetur, ipse nequeat illá, quamlibet ob causam, repudiare: etsi non semel usu uenit, ut ab eâ disiungatur.*

Obiicitur. *At Pontifex Maximus potest alterius loci Ecclesiam ei deferre.*

Refutatur. *Quidni, si expedire uideatur? Si alteram ille susceperit, priorem omittat, oportuerit.*

Obiicitur. *Assentimur. consequitur, ut illud connubium non diuino iure teneatur. Inficiamur conclusionem.*

At

at ſi diuino id iure conſtringeretur, hanc miſſam facere, illam habere non poſſet. Vt tandem aduerſarij noſtræ ſententiæ nec diſſimulare nec peruertere, quod nos planè aſſerimus, queant; fatemur, quod illi ipſi affirmant, unum eſſe uerè ſponſum Eccleſiæ Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM: *ſuæ ſponſæ ab eo datos eſſe cuſtodes, qui tanquàm ſponſi eam caſtè ſanctéque cuſtodirent: unum, qui uniuersè, nempe qui Apoſtolicam Petri ſedem teneret; cæteros, qui ſigillatim certo quodam in loco, prout ſuam cuique præfecturam, qui Remp. Chriſtianam gubernet, committeret. Nam rectè Eccleſiam Remp. dixeris, aut quidem certè Reip. ſimilem. Illa enim multas præfecturas complectitur: hæc multas diœceſes. Illam Senatus unius Principis inſtar habens, uniuersè adminiſtrat; cæteri magiſtratus ſingulatim ſuâ quiſque in præfecturâ: hanc Pontifex Maximus uniuersè gubernat; minores Pontifices ſigillatim ſuâ quiſque in diœceſi. Illi omnes Reip. fidem obſtringunt; hi planè omnes Eccleſiæ, quã ſanè cuſtodiendam atque ſeruandã, ut abũdè oſtẽdimus, à Deo ſumpſerunt. Illi eo iure, quod dedit, qui Remp. conſtituit, legibúsque informauit, obligantur: hi quoque, eo iure, quod ſtatuit, qui Eccleſiam ſui ſanctiſſimi ſanguinis pretio comparatam fundauit, diuinísque myſterijs communiuit. Illi quibus præfecturis funguntur, ante conſtitutum diem Senatus iniuſſu ſe abdicare non poſſunt: hi delatas ſibi diœceſes ſummi Præſidis iniuſſu dimittere*

Refutatur.

re nequeunt. Vtrique suo iure, illi Remp. hi Ecclesiam administrare ita coguntur; ut loco, cui præfecti sint, nunquàm temerè queant discedere. Atque hi quidem custodes sponsæ uocari potiùs debent, quàm sponsi. Quia uerò, ut CHRISTI Domini meruerunt appellari; digni etiam sunt, qui sponsi dicantur; rectè à nobis dictum est, eo connubio, quod nunquàm solui possit, cum Ecclesiâ hos coniugari: & uerò ita coniugari, ut eâ quidem in parte illi inseruiant, ubi eos Pontifex Maximus plus esse profecturos censuerit: nec uinculum coniunctionis, quo ij ipsi cum illâ copulantur, laxari; quamuis, priore diœcesi dimissâ, alteram assequantur. Cùm autem eius coniugio fruantur, ubi eam administrant, ibidem duntaxat singulatim, non uniuersè eius sponsi nuncupantur. Vnus enim, ut diximus, Pontifex Romanus uniuersæ Ecclesiæ sponsus nominatur. De connubio quidem Episcopi cum Ecclesiâ humano iure nunquàm soluendo, accipite Innocentij III Pontificis Maximi testimonium.

Innoc. III. Cùm ergo fortiùs sit spiritale uinculũ, quàm carnale; dubitari non debet, quin omnipotens Deus spiritale coniugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantùm iudicio reseruauerit dissoluendum; qui dissolutionem etiam carnalis coniugii, quod est uiri cum fœmina, suo tantùm iudicio reseruauerit, præcipiens ut, quos Deus coniunxit, homo non separet. Ac, ne dubitetis, cùm quis au-

storitate Pontificis Romani ab Ecclesiâ remóuetur, id agi institutione diuinâ; audite, quæ sequuntur. Non enim humana, sed potiùs Diuina potestate coniugium spiritale dissoluitur, cùm per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium IESV CHRISTI Episcopus ab Ecclesia remouetur. & ideò tria hæc, quæ præmisimus, non tam constitutione Canonica, quàm institutione Diuina soli sunt Romano Pontifici reseruata. *Perspicua hæc quidem sunt & aperta; adeóque dilucidè & disertè exposita, ut uel ab ijs, qui ius Ecclesiasticum interpretantur, eum in sensum accipi non possint; ut quemadmodùm omne, quod ratione ac meritò molitur, quod præcipit, quod constituit Pontifex Romanus; ita hoc idem agere diuinâ potestate, tanquàm* CHRISTI *Vicarius, intelligatur. Nam quid sibi uolunt illa,* Suo tantùm iudicio reseruauerit. *et,* Institutione diuina soli sunt Romano Pontifici reseruata: *nisi Deum, quæ sibi reseruârat, ut Pontifici Romano item reseruarentur, instituisse? Quòd unì eidémque Ecclesiæ Episcopi præsideant, unúsque sit Pontificatus, cuius à singulis solida & integra pars teneatur; auctor est Cyprianus ille et doctrinâ & sanctitate maximâ præditus Antistes. Retitetur summi Sacerdotis testificatio.* Cyprianus. Quam unam Ecclesiam etiam in Cãtico canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini

ni designauit, & dixit, Vna est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ electa genitrici suæ. *Et paulò post*, Quam unitatem firmiter tenere & uindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque istum unum atque indiuisum probemus. *Tum paucis interiectis*, Episcopatus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur. *Quid ipse Apostolus? num Episcopos huic illi Ecclesiæ? an Ecclesiæ præfectos ait fuisse?* In quo, *inquit*, uos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. *quanquàm in Asiâ ille Milesiis, hic Ephesijs, alius alijs propriè priuatímque præesset. Quid ipsa Ecclesia? nónne idem se in Episcopo consecrando præ se tulit, intellexisse? Nam Ecclesiæ se itidem obligasse Episcopus meminerit, si memoriâ repetierit sibi hæc dicta esse, cùm annulum acciperet, à quo consecrabatur.* Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenùs sponsam Dei, sanctam uidelicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus custodias. *Quæ cùm eadem summo Pontifici dicantur, hoc quidem interest, quòd alio loco dictum reperias; Illi quidem,* Tribuas ei Domine Cathedram Pontificialem ad regendam Ecclesiam tuam, & plebem tuæ sortis intra mundi limites uniuersi,

uerſi. *Epiſcopo autem*, Tribuas ei Domine Cathedram Epiſcopalem ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem ſibi commiſſam. *Vtrique à Deo Eccleſia regenda tribuitur, ſed illi plebs uniuerſo terrarum orbe comprehenſa cõmittitur, huic definito quodam loco. At non poſſum eorum audaciam, ne dicam impudentiam, ſatis admirari, qui non uerentur aſſeuerare, ſi Pontificia præcepta tollerentur, ius reſidendi nullum fore: quaſi antequàm Eccleſia eâ de re præcepta tradidiſſet, temerè Apoſtoli, et qui in locum eorum ſuffecti ſunt, nullo iure, non diuino, non ipſius naturæ, diuina myſteria diſpenſarent, officiáque à Deo conſtituta exequerentur. Omitto ueteris teſtamenti Sacerdotes non alio iure, niſi diuino, Deo miniſtraſſe. Nã, quod aiunt, cùm primùm Epiſcopo Eccleſiaſtica præfectura tribuitur, reſidendi in ea mandatum dari; illud Dei præceptum eſſe iam planè oſtendimus. Poſtremò ſimulant, ſe nunquàm intelligere potuiſſe, quod dixit Caietanus, Reſidendi præceptum, quanquàm, prout in his, quæ quod ſit agendum, imperent; non quòd ſit uitandum, prohibeant, percenſetur; ac, prout mandati ratio poſtulat, non ſanè perpetuum paſtoris officium requirit: materiæ tamen cauſâ in qua munus uerſatur, ita urgere, ut uel perpetuam, uel aſſiduam curationem poſcat. at, quia materia nulla eſt in hoc orbe inferiore, quæ utî materia eſt, mutationi ſubiecta non ſit, uſu interdum uenire, ut arcta uis illa præcepti ita relaxetur,*

Obiecta refelluntur.

xetur; ut neutiquam perfringatur: cùm multa soleant præter rei naturam, prætérque rationem accidere. Nam Episcopi munia sunt eiusmodi; ut, quanquam nonnulla statis quibusdam temporibus obeantur, ut quæ ad initiandum attinent, quæ ad oleum consecrandum, quæ ad cæleste epulum exhibendum: nemo tamen possit inficiari esse præterea quædam ita incerta; quæ, cùm quotidie possint euenire, nescias autem qua die sint euentura, quotidianam Antistitis præsentiam exigere uideantur: ne, siquando te absente aliquid horum acciderit, pigeat te abfuisse. id genus enim sunt, quæ auctore Ezechiele diximus ad pastoris officium spectare. Ac, si Pastores à Domino uerè, qui sint Episcopi, nominantur; dubitandum non est, quin eorum opus quotidianum sit: quippe quos pascere oues quotidie planè oporteat. Cùm autem nonnunquam id contingat, quod, si à grege pastor discedat, eúmque alteri, à quo custodiatur, commendet, ad pecoris quoque utilitatem redundet; non est, ut dici queat, officio suo deesse, ac præceptum non seruare. Atque hæc ea mutatio est, quam materia potest habere, mandato nullâ ex parte prætermisso. Nam ad commoditatem singularum partium attinet uel quod cuiusque incolumitatem attingit; nedum, quod uel capitis, uel corporis uniuersi. Ex quo fit, ut non modò uel pro capite seruando manus plagam accipiat, uel ne corpus uniuersum pereat, crus abscindatur; uerùm etiam, ut crus ipsum malè affectum, aut quod

cunque

cunque aliud membrum seruetur; in brachio uena interdum incidatur: cùm ea sit partium inter se coniunctio, eáque cum toto corpore necessitudo, quæ facilè hoc utique patiatur. Ita Episcopi operam siue Resp. Christiana, siue priuata requirat, à Dei præcepto non discedat; cum à suâ præfecturâ absit: modò prospiciat, ne quid interim illa iacturæ faciat. Iam uerò, cùm Ecclesiæ iure nexi se se dediderit, nihil profectò mirum erit; si, quamuis usu certi cuiusdam loci sit; interdum tamen eius fructum alter capiat iussu eius præsidis, qui Remp. Christianam cuius mancipium est, administrat. Atqui adhuc in dubium reuocant, quod nos in omni Ecclesiæ memoriâ perspectum esse arbitramur, sanctissimorúmque patrum auctoritate confirmatum, Episcopos à CHRISTO *fuisse institutos: cùm haud quaquàm constet, quo loco eos Dominus instituerit. Nam alij dixerunt in cœnâ illâ sanctissimâ summos Sacerdotes fuisse cooptatos; potestatémque alios initiandi accepisse: quippe cùm Dominus Deus noster iussisset eos facere, quod ipse fecisset. Alij, postquàm è sepulchro surrexit; & quidem cùm eis diuinum spiritum afflauisset, ac potestatem & docendi & de peccatis iudicandi dedisset, ut arbitratu suo tum animaduersionem remitterent, tum iudicij seueritatem retinerent, atque ad Euangelium prædicandum misisset. Alij, dum esset ad cœlum ascensurus, cùm sublatis porrectísque manibus, ut auctor est Lucas, eis benedixisset. nunquàm enim ille benedi-* Luc. 24.

Obijcitur.

cere

ἐπάρας τὰς χεῖρας χειροτονήσας.

cere consueuit, quin cœleste donum afferret. Quónam cœlesti dono illos affecit, nisi quod porrectis manibus indicauit? Vsus est enim præclarus ille scriptor Euangelij uocabulo ad id alludente, quo ueteres Græci utebantur, cùm in re aliquâ decernendâ psephismata declararent, siue bella susciperent, siue præclaros ciues Reip. præficerent: ut Apostolos Ecclesiæ præfectos esse demonstraret; quos Clemens ille Romanus, quem sibi succedere Petrus iusserat, & Augustinus tradunt, antequàm cœlum repetiuisset, Episcopos Dominum porrectis manibus cooptasse. Sunt, qui multò antè, cum XII *Apostolos elegisset, atque ad Regnum Dei peruulgandum misisset, uimque eis præbuisset, & sanandi, qui morbo laborarent, & liberandi, qui Dæmonum dominatu opprimerētur. Ac messis multa cùm esset, ex turbâ non modicâ, qui se assectabantur, duos & septuaginta operarios ascripsit, qui quidem eis ad metendum essent adiutores. nimirùm, ut illi tanquàm Antistites præirent: hi tanquàm Sacerdotes in mysteriorum administratione sequerentur. Nec desunt, qui postquàm ad cœlum ascendisset; nempe quinquagesimo illo die celeberrimo, quo diuino spiritu afflati uim illam admirabilem, quam sibi* CHRISTVS *promiserat, acceperunt.*

Paulus Eph. 4. ἀναβάς.

Eâ ui Paulus dona illa, quibus Ecclesiam suam Dominus locupletauit, insinuauit contineri. Ascendens, *inquit*, dedit dona hominibus; *hoc est, cùm ascendisset. sic uerbum Græcum esset interpretandum.*

tandum. nisi enim ascendisset, promissum illis spiritum non afflauisset, neque dona impertiuisset. Si non abiero, *inquit Dominus*, Paracletus non ueniet ad uos. Sin autem abiero, mittam eum ad uos. *Paulum secutus Dionysius ille, qui ab eo uisus est diuina mysteria didicisse, illa dona ita interpretatur, ut sint potestates, quæ in sacros ordines ascriptis deferuntur. At neminem possunt proferre: cuius testimonio sit asserendum, à* CHRISTO *Episcopos non esse constitutos. Immò uerò, quàm multis scripturæ id sumitur de locis, tam apertè probatur. quod enim sæpiùs inculcatur, hoc ipsum exploratiùs esse debet. Nec uerò, quæ testimonia producuntur, inter se contradicunt. nam omnium liquet cõsensione, à Domino Apostolos in summum Sacerdotium, duos & septuaginta discipulos in ordinem minore præditum dignitate electos fuisse. At uerò, antequàm dies ille sacratissimus publicæ, priuatæque hominum saluti præscriptus aduenisset, Dominus Deúsque noster utrosque elegit, Deíque Regnum iussit non extra Israelitanos fines prædicare. Deindè in cœnâ illâ epulis, poculísque cœlestibus extructâ pridie eius dieĩ, quo se patri in arâ crucis immolandum exhibuit, pretiúmque in mensâ repræsentatum persoluit; Apostolos duntaxat consecrauit, potestatéque affecit, quod fecerat ipse, faciendi. cùm enim sacrificium institueret, instituit etiam, qui sacra facerent, instituendíque haberent facultatem. Tum uerò ubi reuixit, atque*

Dionysius.

Refutatur.

P *Aposto-*

Ioan. 20. *Apostolis intra domum Iudæorum metu coactis se se uiuentem ostendit, cùm eos bono tranquillóque animo esse iussisset:* Sicut misit me pater, *inquit*, & ego mitto uos. *Mittebat autem eos ad Regnum Dei peruulgandum, non intra Iudæorũ fines, sed per uniuersum terrarum orbem; ut, audito nuncio salutari, omnes nationes, omnésque gentes resipiscerent, Sancto spiritu & aquâ renascerentur, sibi crederent, in se spem omnem salutis ponerent, se unicè diligerent. Atque, ut earum rerum potestatem haberent, quarum causâ ipse in terras de cælo à patre fuerat missus:* Accipite, *inquit*, Spiritum sanctum: quorum

Ioan. 20. remiseritis peccata, remittuntur eis: &, quo

Luc. 24. rum retinueritis, retenta sunt. *Quod Lucas his uerbis comprehendit,* Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat CHRISTVM pati & resurgere à mortuis, & prædicari eius nomine pœnitentiam, & remissionem per omneis gentes à uobis incipientibus ab Hierosolymis. Vos autem testes estis horum. *In eandem quoque sententiam sunt ea referenda, quæ scri-*

Matth. 28. *psit Matthæus, quæ Marcus, qui etiam uim mira-*

Mar. 16. *culorum disertè adiecit. Itaque suam eis de Regno Dei tradidit potestatem, cùm eos diceret à se mitti, quemadmodùm ipse missus fuerat à patre. Iamque, cùm esset ad cælum ascensurus, ita eis sublatis porrectisque manibus benedixit, ut potestatem dederit benedicendi. Episcoporum enim offi-*

cia

cia ſunt, iudicare, interpretari, conſecrare, initiare, rem diuinam facere, abluere; quæ ſibi quiſque noſtrûm, cùm iam iam eſſet conſecrandus, meminiſſe poterit propoſita fuiſſe. Nam paulò poſt, qui conſecrabat, porrectis manibus inquiebat, Accipe Spiritum ſanctum. *Deinde, cùm poteſtatem daret iudicandi,* Accipe baculum Paſtoralis officii. *Cùm interpretandi atque docendi,* Accipe Euangelium, uade & prædica populo tibi commiſſo. *Cùm Eccleſiæ cuſtodiendæ,* Accipe annulum. *Cùm eius defendendæ, & cum hoſte certandi,* Imponimus Domine capiti huius Antiſtitis, & Agoniſtæ tui galeam munitionis, & ſalutis. *quippe mitram pontificiam imponebat. Cùm benedicendi,* Circunda Domine manus huius miniſtri tui. *Nam & cùm conſecrat, & cùm initiat, manibus porrigendis benedicit. Vim autem ſacri faciendi, & abluendi iam tum non ſumit: cùm eum, dum Sacerdotio initiaretur, ſumpſiſſet. Iudicandi uerò poteſtatem promiſerat ſe daturum Apoſtolis Dominus noſter* IESVS CHRISTVS. Nam uos, *inquit*, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedibitis & uos ſuper ſedes XII. iudicantes XII. tribus Iſraelis. *Dedit, cum poſt optatiſſimam ſanctiſſimámque cœnam eos alloqueretur:* Ego diſpono uobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus Regnum: ut edatis & bibatis ſuper menſam

Ex Pontif.

Luc. 22.

meam in Regno meo, & sedeatis super Thronos iudicantes XII. tribus Israelis. *Quemadmodùm & ligandi & soluendi promiserat, cùm dixisset*, Amen dico uobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt alligata & in cœlo: &, quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. *Dedit, cùm dixit*, Accipite Spiritum sanctum. *Quid? cùm aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas, nónne uim interpretandi impertiuit? Itaque plures eis, aliam alio tempore, tribuit potestates, admirabiles illas quidem, sed quas exequi nunquàm perfectè quiuissent; nisi promissum spiritum hausissent: qui illas adeò corroborauit, atque perfecit; hos eâ fortitudine, eâ sapientiâ, eo consilio, eo studio, eâ intelligentiâ, eâ pietate, eâ religione, eâ denique ui rerum, quæ summam admirationem haberent, affecit; ut non modò promptè, & audacter, ac sine ullâ difficultate suscepta munera obirent; sed & Dij potiùs, quam homines haberentur. Quamobrem omnis tollitur controuersia: cùm Episcopo officia plura tribuantur; quæ non uno eodémque tempore delata, una expectatissima dies, ad quam Paulus, ac Dionysius dona hæc omnia retulerunt, confirmauit, atque affecta confecit; uímque præbuit, qua, qui acceperant, illa efficere potuissent; nempe XII. discipuli, quos simul, ut Apostolos instituit, Episcopos creauit. Nec me latet, quem in modum illa Pauli uerba Ambrosius explicârit; ut ea dona, eásque*

Mat. 18.
Ioan. 20.
Luc. 24.

que potestates esse in Ecclesiâ demõstraret; in qua animaduertebat certos quosdã ordines esse constitutos. Nam Episcopos Apostolorum dixit locum tenere; Presbyteros Prophetarum; Ministros, quos Diaconos appellant, eorum, qui Euangelium prædicant; Lectores Pastorum; quos uocant Exorcistas, Doctorum: cùm Episcopi Apostolorum munere in præsidendo fungantur; Presbyteri scripturas explanent, quas interpretari fuit Prophetarum; quanquàm in ipsis Ecclesiæ primordijs Vates, qui futura prædicerent, non defuerunt; Ministri Euangelium prædicent, uti de Philippo atque de Stephano traditum est; Lectores quodã modo sint Pastores, quippe à quibus diuinorum lectione oraculorum populus, qui audit, saginetur: quando, Non pane tantùm uiuit homo, sed & omni uerbo quod prodit ex ore Dei. *Idem munus Doctorum est. qui enim ad legendum incumbunt, pueros instruere solebant, sicut mos patrius fuit Iudæorum: à quibus hæc institutio cùm ad nos deducta esset, Antistitum negligentiâ iam obsoleuit. Nec uerò Exorcistæ non esse magistri uidentur, cùm in templo minimè quietos, miniméque compositos compescant, interdum etiam uerberent: quod sanè officium ad Ianitores posset spectare; quippe qui nequid minùs rectè, minúsque aptè agatur, dum alios eijciunt, alios retinent, prospiciant. Sed nemini dubium est, quas singuli ordines in Ecclesiâ potestates priuatim nominatimque obtinuerunt; in summum* Matth. 4.

Sacerdotium omneis præcipuè perfectéque conuenire: cùm summi Sacerdotis potissimùm sit præsidere, diuina effata interpretari, quæ Deus præcepit, denuntiare, populum scripturæ pabulo explere, rudes docere, senes de morum grauitate seruandâ admonere, adolescentes ad pietatem Christianam informare, omnes in officio retinere, Ecclesiam custodire. At esto, Apostolos ut Antistites Ecclesiæ CHRISTVS *præposuerit: num consequitur, ut, qui subsecuti sunt, Episcopi in eorum sint locum suffecti? Quidni? At neque eodem in munere substitutos, neq; eâdem in potestate reperias: quippe neq; in legatione, cùm æquè illi omnes in uniuersum terrarum orbem legati fuerint, ut cæleste Regnum constituerent, propagarēt, protenderent, stabilirent: neque in Ecclesiæ uniuersæ administratione, quam omnes Theologi asserunt illis pariter fuisse delegatam: neque in ui miraculorum, quæ in ijs mirificè claruit: neque in prædicendo, neque in diuino iure statuendo. Iam uerò, quod iactatis, quod ostentatis, quo gloriari non dubitatis, si Apostolis Episcopi successissent; neque eorum pietas miranda, charitásque in Deum singularis sibi deesset; quam ter Dominus ab eo, qui suas oues pascendas esset suscepturus, exegit; ut, qui eâ carerent, declararet Pastores neutiquàm esse oportere: neque ipsi, quæ sua sunt, non quæ* CHRITI, *consectarentur; neque ad uoluptates, commoditatésque suas, non ad* CHRISTI *gloriam, omne studium, omnem laborem,*

Obiicitur.

borem, omnem denique induſtriam conferrent; cùm eos eſſe paſtores ille definierit, qui oues paſcant, hoc eſt doctrinæ Christianæ ubertate exſaturent, & ſanctitatis exemplo, tanquàm pingui paſtione, oblectent: quare, qui nec diuino amore flagrent, nec doceant, illis hos dixeris ſurrogari? Caueant, in mediũ proferant, quæ contra Eccleſiæ decreta, qui ab eâ deſciuerunt argumentátur. At uerò, ut, quàm facilè hæc refutentur, intelligant; adnimaduertant, quæſo, quæ tanquàm comperta ac minimè controuerſa, ponenda ſunt. Ac, primùm eas primas agri fruges appellari, quas aliæ ſecuturæ ſint: ut, ſi aliæ non eſſent ſecuturæ, non eo nomine dicerentur. Apoſtolos autem à Paulo primitias uocari; quos, ſi nemo in Eccleſiaſticis præfecturis fuiſſet ſubſecuturus, perperàm hoc uocabulo nominarentur. Ná ille idem Paulus, cùm eſſet oſtenſurus, qui Deo crediderint, omnes, ubi occubuerint, in uitam eſſe reuocandos: CHRISTVS, *inquit,* reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors; & per hominem uiuificabuntur: unusquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ CHRISTVS, deinde ii, qui ſunt CHRISTI, qui in aduentu eius crediderunt. *Et, qui ex fide ſunt, ut Abraami eſſe filios demonſtraret, in eos primos narrauit credendi fructus extitiſſe; & eâ de causâ omneis gentes, quæ fidem eius eſſent conſecuturæ, in illo ipſo Deum amplexurum eſſe donísque cæleſtibus proſe-*

Refutatur.

Paulus 1. Cor. 15.

Rom. 4. Gal. 3. Gen. 15. & 22.

tuturum. Atque eundem Israelitanorum parentem, cùm esset Sacerdos, Melchisedeco, qui erat perpetuus Sacerdos, cessisse ostendit: ut Leuiticum Sacerdotium non modò Melchisedeco esse inferius declararet; uerùm in illud etiam transferendum. Cùm enim Leuitarum patrem illi decimas dedisse dixisset, argumentatus est, qui ab alijs decimas accipere solebant, in eo iam antequàm orti essent, decimas soluisse. Quapropter, quemadmodùm CHRISTVM *ille primitias mortuorum appellauit, eò quòd, cùm ille primus è sepulchro surrexisset, posthac qui crederent, essent etiam surrecturi; et Abraamum dixit primam credendi laudem adeptum esse, propterea quòd alij deinceps essent eum in credendo secuturi; &, cùm decimas perpetuo Dei Sacerdoti dedisset, dedisse etiam Leuitas, qui erant ab eo originem ducturi: ita Apostolos primitias uocauit; quod in mysteriorum administratione, atque in Ecclesiâ regendâ futurum non esset, quin eos alij consequerentur. Atque, ut Abraamũ ille patrem eorum, qui ex fide sunt, nuncupauit; ita Regius Vates Apostolos, parentes eorum, qui in Ecclesiâ principes futuri essent, appellauit. Recita* Psal. 44. *mihi oraculum Vatis.* Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Constitues eos Principes super omnem terram. *Ita id maiores nostri intellexerunt:* Cypr. de simp prælator. Non potest, *inquit Cyprianus,* Deũ habere patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Aug. super Psal. 44. *& secutus eum Augustinus, cùm Ecclesiam alloque-*

alloqueretur, Ne putes te desertam, quia non uides Petrum, quia non uides Paulum, quia non uides illos, per quos nata es: de prole tua tibi creuit paternitas. Pro patribus tuis nati tibi sunt filii. Constitues eos Principes super omnem terram. *Vt enim Prophetis Apostoli, sic Apostolis, qui uocantur, Episcopi, successerunt. Deinde illud ponendum est, Episcopum non idem omnino, atque Apostolum esse. Nam, tametsi quodam modo ille Apostolus dici potest; cùm ad docendum in aliquam præfecturam mittatur, quemadmodum à Paulo, si Chrysostomo credimus, Epaphroditus Philippensium Apostolus uocatur; unde illud, Vade, prædica: atque ab Augustino dicitur Dei legatus; qui meminerat Paulum affirmasse de mysterio Euangelij se à Deo legationem accepisse; & Euaristum Pontificem Romanum, qui pro Domino uitam profudit, dixisse, eum esse amandum, atque suspiciendum, ut legatum Dei, & præconem ueritatis: non tamen appellari consueuit; cùm propter excellentiam, præstantiámque Antistitum reliquorum, uocari illi propriè priuatímque Apostoli meruerint, qui in omnes nationes à* CHRISTO *legati sunt. Fuit enim munus illud priuilegio uallatum, quod illi non adeò primi, qui habituri essent successores, sed uni sanè omnium acceperunt. Quarum enim rerum causâ in totum orbem legati sunt, de his legatione, ut Apostoli; non item, ut Episcopi, fungebantur: & si primi* Aug. de. 12. gradibus. Eph. 2. Cor. 5.
onus

onus Ecclesiæ gubernandæ, non sanè quidem ita uni, quibus in hoc alij non essent successuri, sumpserunt. Vnus autem Petrus, præterquàm quòd erat Apostolus, fuit à CHRISTO *in suum locum constitutus; & uniuersæ Ecclesiæ, ut pastor primarius ouium suarum, ipsísque etiam Apostolis præfectus: ut, quamuis tanquàm Apostolus eis non anteiret; ut eximius* CHRISTI *tamen Vicarius, & Pastor cunctarum ouium singularis, Ecclesiæque præses uniuersæ, illorum esset Princeps. Cùm autem ille, qui erat Apostolus,* CHRISTI *quoque uicem, numénque in toto eius grege pascendo teneret; atque etiam, ut uniuersi pecoris Pastor, Apostolicâ auctoritate polleret: successores, qui in eodem munere suffecti sunt, Apostolici Antistites uni ex omnibus nuncupantur; eorúmque sedes, quã Apostolus Dei Princeps Vicarius Romæ posuit, Apostolica & prima omniũ uocatur. quippe cùm Petro, tum ut uni ex Apostolis, illud onus à Domino impositum esset, illáque auctoritas Apostolica delata; tum ut primo omnium præsidum Ecclesiæ uniuersæ, qui erant subsecuturi. Iam uerò annotandum est non omneis, quæ Apostolis datæ sunt, potestates in Episcopos conuenire: ut ne mirum sit hos illis non esse ijs in rebus, quæ ad Pontificium munus non attinent, substitutos. Nam ad illud quidem, quæ ex eo ipso apta pendent, spectare dicuntur: quod genus ea sunt, quæ nobis in consecrando proponebantur. Edere autem miracula, prædice-*

re

re futura, condere ius diuinum, eorum profectò temporum fuit, quibus diſcipuli Eccleſiam gignebant, educabant, inſtruebant: cùm eſſent non modò Iudæi, quibus CHRISTVS *fuerat promiſſus, at cùm ueniſſet, nondum erat perſpectus, informandi; uerùm etiam nationes, quæ Deum prorſus ignorabant, ad credendum excitandæ, atque inducendæ; &, quæ à Domino ipſi acceperant, edocendæ. Ac, tantùm abeſt, ut illa munia ſint Epiſcoporum; ut uiri ſanctitate inſignes illi quidem, ſed ad quos paſcendarum ouium officia minimè attinerent, ſanctæque etiam fœminæ in Eccleſiæ incunabulis, quæ uentura eſſent, præſentirent. Quíſnam ueſtrûm ignorat Agabum, quæ Paulo eſſent obuentura, prædixiſſe? Philippique illius, qui fuit unus è ſeptem adminiſtris, quatuor filias, ut uirginitate, ita præſenſione rerum futurarum, claruiſſe? Nec poſthac defuerunt, quibus & prænoſcendi, quæ fuiſſent conſecutura, & rerum mirabilium edendarum uim Deus, cùm Epiſcopi non eſſent, impertiuit: ut planè oſtenderet, nec in Epiſcopis eam requiri; nec ita in Eccleſiâ conſopitam eſſe, ut, ubi opus fore uiderit, non ſit excitaturus. Quod autem prætereà uatum erat, quoniam Antiſtitum munus attingebat, id relictum illis eſt; nempe ſcripturam interpretari. Ac, tametſi nequeunt diuinum ius conſtituere; hoc tamen & à Pontifice Maximo, & ab oecumenico eorum Concilio ritè conuocato declarari poſſe dubitat nemo: atque ita declarari, ut non ſemel*

semel de rebus ad fidem spectantibus dogmata protulerint; & , quæ tenenda essent, quæ reijcienda, decreuerint. Hinc illa, eiusdem naturæ, quod ὁμοούσιος Græcè dicitur; & Dei mater, quod θεοτόκος prodierunt. Tum uerò obseruandum est, non idem personam, atque bene affectam personam, ualere: nec idem esse usum iuris, ac rectum usum: at officium personæ deferri, rectum eius usum, personæ bene affectæ. prudentis autem esse officium ei, qui morũ probitate doctrinâque sit præditus, tribuere; ut eo rectè fungi possit. Quamobrem, qui non merenti Episcopium munus detulerit, errauerit ille quidem: sed nunquàm sanè erit, ut is Episcopus esse desinat, eò quòd suscepto munere minùs rectè fungatur. Quã uis enim Pontificia potestas ei sit committenda, in quo pietas, erga Deũ, religióque emineat: si cui tamen nullo eius merito committatur, nunquàm profectò amittatur; etiam si illâ is abutatur: quoniam ita personæ tribuitur, ut insigne quoddam decus in eius animo imprimatur, quod nunquàm deleri possit; & cum eo nexa, aptáque sit Episcopia uis illa, quæ nunquàm ei sanè queat auferrri. An non illud Domini elogium uulgatum est? Super Cathedram Mosæ sederunt scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint uobis, seruate & facite: secundum opera eorum nolite facere. *Vt planè intelligamus, detractâ opinione probitatis, nec auctoritatem Episcopo detrahi, nec potestatem; et si eum aut inuisum Deo, aut neglectum â*

ctum à Deo iudicamus. Poſtremò, quod antehac à nobis aſſertum, explanatúmque eſt, in memoriam redigatur, oportebit; nullam eſſe Remp. ita bene fundatam, ut, quam CHRISTVS *conſtituit. Rép. autem bene fundari non poſſe; in qua nec leges ferantur, nec magiſtratus inſtituantur, qui eam adminiſtraturi ſint, & cum eâ perpetuò duraturi. Ita Romæ Conſulatus, Prætura, Aedilitas, cætera officia non eſſe antè deſierunt, quàm Reſp. adeò euanuiſſet, ut ne umbra quidẽ eius appareret. Eccleſiam autem Dei ſine ullâ dubitatione perpetuò eſſe permanſuram, nec antè defuturam, quàm ſecula omnia finiantur: quæ uerò ad eam gubernandam ille conſtituit munera, cum eâ ſine ullo fine duratura. Neque enim non ſummæ ſtultitiæ eſſet arbitrari, præceptũ illud,* Paſce oues meas, *quo officiũ Reip. Chriſtianæ adminiſtrandæ inſtitutum eſt, ita fuiſſe traditũ; ut poſt obitũ Petri, Apoſtolorúmque reliquorũ, uim nullam eſſet habiturum: quaſi non ita pecori ſuo Dominus proſpexiſſet, ut nunquàm ei paſtores eſſent defuturi. Nec par non eſt, ut cum temporum uniuerſitate locorum etiam uniuerſitas intelligatur: ut, cùm ſanè nunquàm oues in orbe terrarum defecturæ ſint, nuſquàm etiam, qui eas paſcat, ſit defuturus. An non abſurdum eſſet, atque à diuinâ ſapientiâ multùm abhorreret, qui Synagogæ dixit,* Quid ultrà debui facere uineæ meæ, *& non feci? Eccleſiæ, quam ſanguine ſuo imbutam, ac potiùs ablutam ſibi adeptus eſt, non ſatis prouidiſſe?*

Neque

Neque enim illi satis prouidisset, si eam unius instar ouilis habentem sine uno æquali pastorali magistratu constituisset: atque, cùm plures illa greges complectatur, non suum cuique pastori perpetuo committi iussisset. Quamobrem, Patres amplissimi, uidetis, quæ nobis obijciuntur, quàm facilè refellantur: quandoquidem pro comperto habemus nec Remp. suam à CHRISTO *ita esse fundatam, ut in eâ quos instituit, magistratus ante uniuersitatis finem sint defuturi; nec, quas dedit Apostolis, potestates omnes ad Episcopiū munus attinere; nec, si diuinâ charitate deficiant pastores, atque à priscâ illâ sanctitate recedant, nec si minùs rectè oues pascant, pastorali dignitate priuari. quanquàm id maximè reprehendendum est, ut grauissimâ pœna sit coercendum; cùm in Dei summam offensionem incurrant. Quod uitium si in Pontifice Maximo, quod Deus obruat, deprehenderetur; unus esset Deus, à quo iudicari deberet: si in cæteris; uterque. Neque enim seuerum Dei iudicium effugiant, si minùs à summo Præside puniantur. Hoc enim iam nunc contendimus, ut, quo Deus officium constituit, iure diuino se exequi debere in* Obiicitur. *animum inducant, quò arctiùs residere in suâ quisque præfecturâ cogantur. Nec desistunt urgere, ne, quod nos nitimur, statuatur. nam uno, aiunt, excepto Petro, qui Romæ sibi ac successoribus sedem æternam posuit, cuius nutu & auctoritate Ecclesia tota esset gubernanda; neminem ex Apostolis proferri*

ferri poſſe, qui uſquàm ſolium Pontificium conſtituerit, niſi unum forte Iacôbum, cui non defuerunt, qui in Hieroſolymitanâ Eccleſiâ ſucceſſerint; alterúmque Ioannem, qui diſcipulum habuit Polycarpum, eúmque Epheſijs Epiſcopum dedit. An dubitas Petrum ipſum, cæteróſque Apoſtolos in omni regione terrarum, in qua Chriſtiana religio ſuſcepta eſſet, Regnúmque Dei conſtitutum, Epiſcopiam poteſtatem poſuiſſe: cùm ſingulis eadem auctoritas eadémque uis eſſet ſedis Pontificiæ ſtatuendæ? Nam Petro auctore Marcus dicitur Alexandrinam Eccleſiam fundaſſe: ipſe Petrus Antiochenam, antequàm Romam ſe contuliſſet. Paulus in Syriâ, in Ciliciâ, in Aſiâ, in Bithiniâ, in Ponto, in Macedoniâ, in Græciâ, in quacunque natione Euangelium prædicauit; Sacerdotem aliquem qui præſideret, Eccleſiámque regeret, creaſſe; ac Timotheum, Titum, Philæmonem, cæteros ſibi ſocios adiutoréſque in ſuſcepto munere obeundo, adſciuiſſe. Idem quoque Andream, Thomam, Philippum, Mattheum, reliquos feciſſe, quô quiſque CHRISTI *nomen protulerat, exiſtimandum eſt. Quid Barnabas? an non Cypri Pontificiam ſedem locauit, ſuúmque in quaque Antiſtitem ciuitate dedicauit? Nam in Italiâ diœceſes Epiſcopis à Petro eſſe tributas, ſtulti ſanè eſſet ullâ ex parte dubitare. Poſtquàm autem Dei Regnum creuiſſet, aſſeuerandum eſt, qui ſucceſſerunt, ijs curæ fuiſſe, ut quicquid deinceps acceſſiſſet, in præfecturas diſtribueretur, ac ſuus cuique* Refutatur.

Pontifex aſcriberetur: Idque omne Dei mandato. Atque ea quidem eſt in Apoſtolorum locum ſancta religioſáque ſucceſſio: quam ſiquis in dubium uocaret; à directâ uiâ ueritatis longè aberraret. At eſto, ſit à CHRISTO *Epiſcoporum ordo inſtitutus; num ſequitur, ut eius inſtitutione Epiſcopi ius ſint Eccleſiæ dicturi, ſanctósque templorum adminiſtros in poteſtate ditionéq; habituri? Sunt enim, qui, cùm omnino negent Sacerdotibus, quos Græco nomine Presbyteros appellant, eos anteire; diui quoque Hieronymi auctoritate nituntur. Qui, cùm ad Euagrium ſcriberet, nihil inter Epiſcopum atque presbyterum intereſſe oſtendere conabatur; nihilóque hoc illum maiorem olim extitiſſe: uerùm ad diſſidia tollenda, ut, dum quiſque ſibi ius uendicaret, ne eâ diſcordiâ Eccleſia dilaberetur, unum deindè cooptatum, qui cæteris præponeretur: idque à Marco clariſſimo Euangelij ſcriptore uſque ad Heraclam ac Dionyſium Epiſcopos Alexandrinos ſeruatum; ut de collegio illo ipſo ipſi presbyeri unum, qui cæteris præeßet, eligerent, Epiſcopúmque appellarent. Et, cùm Epiſtolam, quam Paulus ad Titum dedit, explanaret, antequàm dici eſſet cœptum, Ego ſum Pauli, Ego ſum Apollinis, Ego autem Cephæ; communi, ait, presbyterorum conſilio Eccleſias gubernari conſueſſe: poſtquàm autem quos quiſque religiosè caſtéque abluerat, ſuos eſſe, non* CHRISTI, *putauit; toto terrarum orbe decretum eſſe, ad diſſenſionum ſemina delenda, ut u-*

Obijcitur.

nus

nus ex presbyteris in quaque Ecclesiâ cæteris omnibus præficeretur: ac presbyteris quidem perspectú esse oportere, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: Episcopis uerò, se magis consuetudine, quàm Dei præceptione presbyteris anteponi; ac sibi cum eis Ecclesiæ communem esse administrationem debere. Quapropter argumentantur Episcoporum præstantiam, qua ipsi cæteris Domini nostri administris præferuntur; Ecclesiastico, non diuino iure munitam esse. Ego uerò uellem, Patres optimi, ut qui ista nobis obiectant, considerati adeò fuissent, ut neutiquàm ad nostram sententiam conuellendam, eorum calumniâ cauillatorum, qui ab Ecclesiâ desciuerunt, uterentur: atque ut, quem nobis sanctissimum ac doctissimum, & de Re Christianâ optimè meritum opponunt, eius consilium sensúmque expendissent. Illi quidem, qui obstrepere atque obloqui non desinunt, ut conuicijs sedem Apostolicam conscindant, ad summi Pontificis auctoritatem euertendam, ut ualidissimas machinas, quæ aduersus Episcopos scripsit Diuus Hieronymus, collocant. Huius autem mens illa fuit, illúdque propositum; ut, Episcopis non, quam à Deo potestatem accepissent adimeret: sed quam sibi ad presbyteros contemnendos assumebant: cùm coram se nec rem diuinam eos sinerent facere, nec mysteria ministrare, nec benedicere, nec prædicare, nec docere, nec rem ullam, quam exequi possent, obire, ut hæc om- Refutatur.

nia munia ad se unos attinere ostenderent, unósque se esse, qui in Ecclesiâ dominarentur. Quam superbiam Antistite indignam, quod animi fastidium, quod supercilium cùm modestissimus ille Sacerdos molestè ferret; tanquàm esset obliquam uirgam directurus, ut mores Pontificum deprauatos emendaret, in aduersam partem ita sententiam intorsit, ut uisus sit Episcopis derogare, quod decebat; presbyteris tribuere, quod minùs congruebat. An non sagittarij, dum neruos intendunt, ita arcum in aduersum inflectunt; ut, cùm iacta euolant sagittæ, grauiorem illæ plagam infligant, ipsi uictoriam consequantur. Ita Paulus, cùm Iudæos legem magni facere; fidem, quam sibi habendam esse CHRISTVS *docuerat, parui pendere animaduertisset; ita hanc illi anteponit; ut, quam Iudæi legem præferebant, ipse contemnere uideatur. Contrà Iacôbus, qui fidem colebant, cùm eius ui adeò niti atque confidere perspexisset; ut, quæ Deus mandauit, negligerent; usque adeò hæc probauit; ut propemodùm præstulerit se illam post habere: cùm neque legem ille aspernaretur, neque hic fidem non pluris æstimaret. Vterque enim Apostolus cùm esset, ac nimirùm à* CHRISTO *ad salutem hominum quærendam uocatus; id sine dubio contendebat, ut, quod obliquum existeret, in directum adduceretur; quod uel ad læuam, uel ad dextram deflexisset, ad rectum curriculum reduceretur. Quid? Dominus Deúsque noster, cùm eò, quòd uidisset*

Iudæos

Iudæos uultum sibi fingere, natiuúmque eius colorem alieno mutare, ut cibi ieiunitate corpus castigare putarentur, ac præ se quandam gererent sanctitatem; Apostolos iussisset, dum abstinentiam famémque mallent, faciem lauare accuratè, capútque unguento perfricare: num existimatur præcepisse, ut in abstinendo & ablueretur uultus, & caput ungeretur? an potiùs admonuisse, ut intelligerêt pharisaicam simulationem esse fugiendam? Quid uerò de Episcoporum excellentiâ Doctor ille amplissimus senserit; idem ipse tum in commentarijs, quibus oracula Esaiæ doctissimè explicauit; tum in Epistolâ, quam scripsit ad Nepotianum, cùm presbyteros admoneat, ut subditi sint Pontifici suo, quem, ut animæ parentem, amare debent; iisque Episcopos honoris gradu ac potestate superiores, omniúmque ordinum Ecclesiasticorum, quos ille recenset, Principes esse fateatur. Dici autem consuesse presbyteros, qui erant Episcopi assentimur: idem utrunque nomen ualuisse inficiamur. Illud enim honoris erat potiùs, quàm ætatis (quanquàm presbyteri qui Græcè, seniores Latinè appellantur) hoc muneris & potestatis. Nec unquam hæc duo genera fuerunt in eodem dignitatis gradu collocata. nam, etsi principiò unum genus erat, quod utroque nomine diceretur: id tamen usu uenit, cùm pauci essent, uíxque singuli in quaque ciuitate, qui Ecclesiam gubernarent, & Sacerdotio fungerentur. Nec uerò locus ille ex Epistolâ datâ ad Philippenses ar-

guit unà in urbe plures Antistites consedisse: siue intelligatur, ut ab Ambrosio, qui non ad Episcopos, qui Philippis essent, interpretatur; sed suo, eorúmque etiam, qui apud se erant, nomine Paulum ad Philippenses literas dedisse: siue, ut ab alijs exponitur, qui aiunt eum scripsisse, non ad Episcopos, qui unà in ciuitate residerent; sed nomine Philippensium comprehendi etiam, qui finitimis in oppidis erant Antistites constituti, tanquàm essent unius Ecclesiæ Sacerdotes. Rex enim Macedonum Philippus urbem, quæ à conditore nomen accepit, condiderat, caputque constituerat regionis: quemadmodùm nomine Romano Latinos quoque omneis complecti solemus. Neque illud ex commentarijs de actis Apostolorum ita interpretandum est, ut Ephesi ab Apostolo plures Episcopos esse institutos intelligamus. Alloquebatur enim ille Episcopos, quos in Asiâ constituerat, suo quenque in cœtu Christiano, ac tum Miletum conuocauerat, ut eos, antequàm abiret, uiseret; atque ad pascendum, quem quisque à Deo gregem sumpsisset, hortaretur. Quid, cùm ille idem Paulus ad Titum scripsisset? nonne eum admonuit, ut suum in quaque Episcopum ciuitate, non ut in singulis plures ille statueret. Creta enim insula adeò magna est, ut teste Homero, centum oppida communita habuisse dicatur. Nolebat enim Apostolus, ut Chrysostomus & Theophylactus docent, in tam amplâ insulâ tótque oppidis præditâ unum Episcopum esse. Nec mirum est à Pe-

tro,

tro, à Paulo, ab Ioanne presbyteros, qui essent Episcopi, appellatos. Cùm eos hoc nomine uocandos censeret, ut animaduerterent se morum grauitate atque prudentiâ magis, quàm ætate seniores esse oportere. quandoquidem scriptum est canos esse hominis sensum, & ætatem senectutis uitam maculis carentem. Nam, quem sæpe appello, ille ipse Paulus Timotheum commonefecit, ut daret operam, nequis adolescentiam contemneret: ut nimirum, quod ætas per se nequiret, probitatis ac sapientiæ commendatio præstaret. At esto, eodem in loco plures presbyteri sint instituti, qui Episcopi etiam nominarentur: num putandum est non aliquem ibidem extitisse, qui Ecclesiæ uniuersæ præsideret? eos autem illo nomine dignatos, quasi propriè sibi hoc conueniret, non communi quodam more: nec quia, cùm Antistiti adiutores essent adsciti, cum eo, quæ ad probè administrandum attinerent, specularentur, præsertim quibus aliqua parochia fuisset delata? Quamobrem, cùm Sacerdotes digni reperti essent, qui eodem nomine dicerentur, præsertim qui parochi essent instituti; iure optimo Diuus Hieronymus eos contemni indignabatur. Quia uerò in Ecclesiæ gubernatione Episcopis illi erant adiutores, eorúmque ferè omnia munera obibant, factũ est, dum adhuc Apostoli ætatẽ agerent, ut sibi plus, quàm congrueret, arrogarẽt; atque, quemadmodùm Corinthios Paulus, cùm ortam esse inter eos contentionem intellexisset proptereà, quòd aliquis di-

Q 3 *ceret,*

teret, Ego quidem sum Pauli, alius autem A-pollinis, alius Cephæ, alius CHRISTI; *admonuit, ut omni dissensione depositâ, cuius nomine erat abluti, eius profectò unius se esse intelligerent: ita cùm eâ de causâ, quòd eum quisque affectaretur, qui sibi mysteria impertiuisset, dissidia in Ecclesiâ cœpta essent excitari; qui adhuc superstites erant, Apostoli declarauerunt hoc non esse ex* CHRISTI *instituto: qui, ut in cœlo nihil ordinis alienum esse uoluit, nihilque perturbatum; ita in terris nihil, quod inordinatum, confusúmque esset, instituit; sed Episcopos constituit, qui in Ecclesiâ præessent: id esse inenti quàm posse, nisi unus in quoque cœtu Christiano præsideret, ad quem essent omnia referenda: nomina uerò, quæ hactenùs fuerant promiscua, distinxerunt. Atque hoc est, quod sanctissimus ille Doctor tradidit, iam indè ab Apostolorum temporibus toto orbe terrarum esse decretum: cùm iam à Marci ætate, qui Alexandrinam Ecclesiam in ordinem adduxit, donec rerum in Ægypto Christiani principes potiti sunt, unus Antistes Alexandriæ ex presbyteris electus sit, qui cæteris omnibus præficeretur: & Clemens Romanus prodiderit, Petrum, à quo ipse fuerat, ut sibi in sanctam sedem Apostolicam succederet, institutus; præcepisse, quo loco Patriarchæ, quo Primates, quo Archiepiscopi, quo Episcopi statuendi essent. Audite, quæ postremò hic auctor locupletissimus dixit, ut ostenderet à Petro hæc omnia ex Dei in-stitutione*

ſtitutione fuiſſe conſtituta. In ſingulis uerò ciuitatibus ſingulos, non plures Epiſcopos conſtitui, præcepit: qui Epiſcoporum tantùm uocabula ſortirentur. Quoniam neque inter ipſos Apoſtolos par fuit inſtitutio: ſed unus præfuit omnibus. *Quid ſibi uult illud*, Qui Epiſcoporum tantùm nomina ſortirentur? *Quid aliud, niſi ut diſſidium tolleret, quod indè uel ortum erat, uel oriri potuiſſet, quia promiſcuè presbyteri omnes Epiſcopos ſe & appellari, & eſſe ſtudebant; cùm eo ſe nomine ab Apoſtolis nuncupatos eſſe arbitrarentur? Itàque non uetuit Eccleſiæ princeps uniuerſæ, ne plures crearentur presbyteri, qui ſpeculandi officio fungerentur: ſed, ne quis præter unum, qui cæteris omnibus præeſſet Epiſcopus appellaretur. Nec aliud Diuus Hieronymus ſenſiſſe uidetur. Recitentur eius uerba:* Epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine, quàm diſpenſationis dominicæ ueritate presbyteris eſſe maiores; & in communi debere Eccleſiam regere. *Quod non inficietur hic ipſe, Epiſcopos Dei præceptione presbyteris eſſe ſuperiores, ipſa comparatio planè declarat. Quid autem erat, quod Eccleſiæ tulerat conſuetudo? nempe, quòd Epiſcopi non ſinebant exequi munia presbyteros, quæ quondam ij ſolebant, nec ſecum illis Eccleſiæ gubernationem eſſe communem. Principiò enim Sacerdotum collegium Senatus locum, Epiſcopus Principis tenere uidebatur. Quapropter uidetis, Pa-*

tres amplissimi, quàm fallantur, qui huius nobilissimi Doctoris testimonio existimant Episcoporum præstantiam ac iurisdictionem non esse diuino iure uallatam. Nam utrosque, ut nos planè assentimur, promiscuè & presbyteros et Episcopos dici consuesse: sic ille neutiquàm inficiatur à Domino fuisse institutos: & quorum dignitatis gradus, & potestates re ex diuinâ institutione distinguebantur, sic nomine ex præcepto Ecclesiastico cæptos esse distingui. Nimirùm, quæ potest Ecclesia rebus antiquis nouas ob caussas nomina noua imponere (ὁμοούσιος enim, & θεοτόκος, uocabula quidem noua in Concilijs œcumenicis inuenta sunt: res autem ipsæ uetustæ erant: quippe filium Dei naturæ eiusdem ac patrem esse; Mariam Virginem Dei genetricem) illa eadem potuit ob rerum nouitatem uerba antiqua à communi significatione ad propriam, à laxiore adstrictiorem, ab ampliore ad arctiorem uocare, & quæ latiùs fundebantur, compressius cohibere. Quod ipsum cùm Augustinus accuraratissimus in loquendo animaduertisset, honorum hæc uocabula dixit esse, quæ iam Ecclesiæ usus obtinuit: non dixit honoris gradus, quos Ecclesiæ usus obtinuit, ut rectè ac doctè Castrensis uir præstanti ingenio & doctrinâ singulari obseruauit: cùm dignitates potestatésque Ecclesiasticas Deus instituisset, nomina Ecclesia inuenisset. Quamobrem asserendum non est, à Deo non fuisse institutos, qui in Ecclesiâ præessent. Habemus enim, quæ testimonio multorum patrum

trum eâ de re Apoſtoli tradiderunt, quæ iniuſſu Dei conſtare nequiuiſſent. Nam principiò cùm Paulus multas, diuerſâsque regiones peragraſſet, multíſque in locis Chriſtianam religionem conſeuiſſet, non quàm primùm uniuerſas ciuitates, ſed quaſdam in ſingulis domos, familiásque ad credendum induxit: atque in quaque presbyterum, eundémque Epiſcopũ, qui ei præſideret cõſtituit. quippe πρεσβύτερος hoc eſt Senior, ut diximus, nomẽ honoris erat, Epiſcopus officij. Quod cùm ex multis locis Epiſtolarum, quas ille ſcripſit, liquere poſſit; tum ex parte prioris, quam ad Corinthios, extremâ conſtat, Salutant, *inquit,* uos omnes Eccleſiæ Aſiæ: ſalutant uos in Domino multùm Aquila & Priſcilla cum Domeſtica ſua Eccleſia. *Hos enim ille Epheſi reliquerat. Et ex principio eius, quã ad Philemonẽ?* Paulus uinctus CHRISTI IESV, & Timotheus frater Philemoni dilecto & adiutori noſtro, & Apphiæ ſorori chariſsimæ, & Eccleſiæ, quæ in domo tua eſt: *illi quidem Eccleſiæ domeſticæ Aquila, huic Philemo præerat. Quia uerò Apoſtoli perpetuam in terris manſionẽ habituri non erant: Fidelium autem cœtus in dies augebatur; ut quã quiſque prouinciam ſumpſiſſet, in ſingulis eius ciuitatibus Epiſcopum, qui cæteris præeſſet, conſtituerent; inſtituerunt, ut presbyteri aliquem de ſuo collegio eligerent, qui Eccleſiæ præſideret: idque, ut docet Anacletus, Dei mandato. An dubium eſt Epheſijs atque Aſianis Timotheũ,*

Cre-

Cretensibus Titum præfuisse? Quod autem hi potestatem in presbyteros animaduertendi haberent, ex Pauli epistolis nemini uestrûm perspicuum esse non debet. Cùm enim ad Timotheum ille scripsisset, admonuit, siquis presbyterum accusasset, ne sine duorum aut trium testimonio nominis delationem admitteret; qui uerò peccassent, in conspectu omnium argueret, ut cæteri timerent: cùm ad Titum, præcepit, ut imperiosè reprehenderet. Neque inficiamur, Paulo initiante, illos eiusmodi imperiú adeptos: sed Paulus ipse affirmat à Deo, non à se illis datum esse. Quid cùm Deus Apostolis præbuit potestatem iudicandi? num uolebat in ijs finiri? an esse, ut sæpe dictum est, in Ecclesiâ perpetuam; & uerò in cæteris omnibus, qui deinceps essent successuri? Agè uerò, ubi nam Hieronymus dixit presbyteros Ephesios fuisse porrectis manibus ab Episcopis institutos, & in Pontificiâ positos auctoritate; ac potestatem initiandi, cæteráque munera, quæ essent Pontificum eorum, qui propriè priuatímque Episcopi sunt appellati, accepisse? Solâ enim cooptatione Episcopos ait à presbyteris differre. et quidem rectè: sed tum quia non eâdem ratione hi atque illi consecrantur; tum quia potestatem, quæ in presbyteros non cadit, dum cooptantur, accipiunt. Vtrique ad natiuú uerúmque CHRISTI corpus æquè initiantur: ad arcanum occultúmque illud, quòd Græcè mysticum appellant, non æquè. presbyteris enim nulla prolis Ecclesiasticæ gignendæ,

gnendæ, nulla Spiritus sancti afflandi, nulla iudicandi, nulla Ecclesiæ regendæ, sacris initiisque tradendis facultas datur. An putatis tunc Ecclesiæ defuisse mysteria, quæ ad hæc opera exequenda traderentur? Nam Timotheum & Titum liquet ad hæc ipsa obeunda Episcopos ritè fuisse institutos. Erant autem illi Ephesij præpositi suæ quisque domesticæ Ecclesiæ regendæ eo ritu, quo hodie præponuntur, qui parochi appellantur. Sed, qui eis præsideret, esse profectò oportebat. Quocirca Pauli illa uerba, Attendite uobis ipsis, *ad omnes, quos Apostolus dicitur afflatus, siue inferiore, siue superiore Sacerdotio fungerétur: quæ sequútur,* Et uniuerso gregi in quo uos posuit Spiritus sanctus, *ad Episcopos duntaxat referenda esse mihi uidentur; ut, quod congruit, cuique tribuatur. Nódum enim compertú est moris unquàm fuisse; ut, cui uel parochia uel domestica Ecclesia cómitteretur, ad hoc munus obeundú Ecclesiastico ritu, quem Apostoli ipsi Dei præcepto tradiderunt, consecraretur. Itaque accipiamus uerba tam sancti præclaríque Doctoris in sensum, quo neque ueritas cóuellatur, neque Hierarchia destruatur. Nam, ut sonant, si ita acciperentur, ne ipse quidem Pontifex Romanus ex diuinâ institutione diceretur in Ecclesiâ presbyteris præesse. Quia neminem ille uidetur excepisse, ne Apostolum quidem ullum: cùm legeret & Paulum, qui in Ecclesiâ secum laborarent, omnes suos adiutores ac socios uocare consuesse; & Dominum Apostolis, qui essent*

In c. olim D. xcv. In c. legimus. D. xiiii.

sent

sent adiumento, LXXII. *discipulos, tanquàm laboris participes dedisse*: *An non illud*, Si auctoritas quæritur, orbis maior est urbe: *nisi rectè intelligatur*, *quæ est omnium Ecclesiarum magistra, sedis Apostolicæ maiestas uniuersæ Ecclesiæ minùs esset præferenda?* Nec uerò existimandus est tam accuratus luculentúsque scriptor sibi nõ constare: qui Episcopos Apostolorum, presbyteros septuaginta discipulorũ asserit esse successores: Apostolis Dominum tribuisse eandem ac Petro ligandi atque soluendi potestatem, antequàm illis hũc unum præposuisset: eam huiusmodi fuisse, ut intelligerent, qui ab ijs damnarentur, quod homo decreuisset, diuinâ sententiâ roborari, & quodcunque ligatum esset in terrâ, ligari pariter in cœlo: eundem illum Dominum Deúmque nostrum Apostolos, Vates, Doctores, Pastores, qui cætera diuina munera obirent, in Ecclesiâ statuisse: qui presbyteros in secũdo ab Episcopis dignitatis gradu positos agnoscit: qui uni eidémque ciuitati posse Episcopos plures esse inficiatur: qui Aaronis locum Episcopos, filiorũ presbyteros tenere affirmat: quod Petro CHRISTVS Dominus dixit, Quæcunque ligaueris, Episcopis dictum esse interpretatur; cùm exponeret, quis esset ille seruus fidelis & prudens, quem familiæ Dominus præfecisset, CHRISTVM patrem familiâs, Apostolos & Episcopos seruos appellat. In bonam, inquam, accipiamus partem, quæ Diuus Hieronymus clarissimum Ecclesiæ lumen dixit: ac fateamur

1. Cor. 12.

Super Ep. ad Philip. Ad Nepotianum.

teamur diuino iure Episcopos presbyteris esse usque quaquè superiores: cum illi in Ecclesiâ ex diuinâ institutione præsideant. Neque enim putandus est CHRISTVS *Dominus deteriùs, quàm homines Remp. constituisse: Constituisset autem deteriùs, ut non semel diximus, nisi instituisset, qui in eâ praeessent. At satis est unum instituisse; nempe Pontificem Romanum. An ulla unquàm Resp. quæ magno potiretur imperio, rectéque ac prudenter fundata esset, uno contenta fuit summo magistratu? Ac, si satis est unum præfectum esse Pontificem Romanum, cur ille ab incunabulis Ecclesiæ cœpit alios ad Ecclesiam regendam initiare? cur in toto Christianorum orbe ad hoc idem munus exequẽdum, ubi essent qui* CHRISTI *colerent numen, alibi alij cooptabantur? An non Dei mandato? At, si manus dare noluerint, sed adhuc in eâdem opinione permanserint; prospiciant, obsecro, ne sacratissimum Ecclesiæ statum, atque Remp. quam Græco nomine, Hierarchiam appellant, delere enitantur; eámque rationem improbare, qua ductum ostendimus Petrum ad decernendum, unum in quaque ciuitate Ecclesiæ præfici oportere, eúmque Episcopum nominari. Vt enim* CHRISTI *præcepto non omnium Apostolorum æqua fuit potestas, sed unus eorum Princeps: ita in quoque cœtu Ecclesiastico non omnium Sacerdotum excellentiam parem esse decebat; sed unum præficiendum esse, cui cæteri omnes parêrent. Nã (si licet rebus cũ magnis componere paruas) quem locum*

Obiicitur.

Refutatur.

locum in amplissimo Romanæ Ecclesiæ collegio Pontifex Maximus, eum in cœtu presbyterorum obtinet Episcopus. Et, quemadmodùm ille in toto terrarum orbe præsidet, hic in certi cuiusdam loci præfecturâ. Nec temerè institutum putamus, ut ferè XII *Sacerdotes in quaque Ecclesiâ, qui Græco uerbo Canonici uocantur, constituerentur, qui Episcopo in rerum Ecclesiasticarum administratione essent adiumento; eúmque, ut Ducem, sequerentur. Quasi illi* XII *discipulorum, hic instar* CHRISTI *Domini haberet. Quamobrem ne dubitate, Patres amplissimi, statuere Episcopos à Domino Deóque nostro ad Ecclesiam regendam fuisse institutos, eiúsque præcepto ad considendum suâ quenque in præfecturâ compelli.*

ANTO-


ANTONII

SEBASTIANI MINTVRNI,

EPISCOPI VXENTINI,

De officijs Ecclesiæ præstandis;

TRIDENTINA VI.



XISTIMABAM, *Patres Amplissimi, qui hactenus, ut sententiam sanctissimorum doctissimorúmque Patrum improbarent, acerrimè contenderunt; in animum eos induxisse, cùm facilè essent refutata, atque reiecta, quæ ad opinionem eruditissimi Caietani oppugnandam opponebantur, sibi ampliùs non esse postulatis nostris obsistẽdum. Cùm autem ad acriùs dimicandum iam ualidissimas, ut putant, copias comparasse uideantur; ut, pro qua arma Christianæ doctrinæ sumpsimus, iuris diuini iustam, sanctam, religiosam, Ecclesiæ necessariam causam defendamus, nobis totis uiribus connitendum esse arbitramur. Multa ex diuinâ scripturâ, ex his, quæ maiores nostri tradiderunt, ex luculentissimis ueterum monimentis, ad obiecta repellenda attulimus. Agè uerò ad peruicaciam aduersariorum expugnãdam, aciem rationũ instruamus Imperatore* CHRISTO,

STO,

STO, *legato eius Paulo; quarum Duces sint Patres; ut uetustate, ac sanctitate cæteris præstantiores, sic doctrinâ haud quaquam inferiores. In dextro igitur cornu Antistitum origo collocetur.* Eiscoporũ origo. *Cùm enim in terras Dominus uenisset, qui non solueret, perfringeretque legem; sed perficeret, atque expleret; ut de medio non sustulit Sacerdotium, sed de synagogâ in Ecclesiam transtulit; sic etiam uidetur distinctos eius gradus, qui erant in ueteri testamento, in nouo seruari utique uoluisse. Quippe quæ in illo existebant, umbram, atque speciem quandam rerum, quæ in hoc erant futuræ, si Paulo credendum est, præ se gerebant. At nec umbra est, quæ non corporis similitudinem referat; nec figura, quæ non ueritatis. Cùm autem in lege illâ priscâ reperiamus à Deo fuisse cõstitutum, ut Aaron in maiore Sacerdotij gradu, in minore filij ponerentur, officiisque distinctis, ornatúque diuerso dignoscerentur (Ille enim uestitu augustiore ornabatur; in penetrale, abditúmque fanum, uti in sacratissimam, maximéque religiosam templi partem, ac Deo propriè, priuatímque consecratam ingrediebatur: dié festum expiationis celeberrimum, atque sanctissimum celebrabat) non est dubitandum in Ecclesiâ, quam unicè diligit, fuisse ab illo institutos, qui superiores, qui inferiores essent Sacerdotes. In hanc aciẽ, uti dux, prodeat Leo summus ille Pontifex, cognomento autem Magnus, his quidem instructus,* Leo. Ep. LXXXVI. *quæ ad uniuersos Germaniæ Galliæque Episcopos scripsit.*

ſcripſit. In diuinis literis præcipiente Domino, ſolus Moſes in tabernaculo Dei erexit altare; ſolus ipſe unxit: quia ſolus utiq; ſūmus Dei Sacerdos erat; ſicuti ſcriptum eſt de eo: Moſes & Aarō in Sacerdotibus eius. Ideoq; quod tātùm Principes Sacerdotū facere iuſsi erant, quorū typū Moſes & Aaron tenuerūt, decretū eſt, ne presbyteri, qui filiorū geſtant figuram, arripere præſumant. *Apoſtolicarum uerò inſtitutionem clypeo tectus, quæ ſanè hoc idē docent;* Vobis quidem Aaron is eſt, qui eſt Epiſcopus. Itaque ſi dictus eſt Moſes à Domino Deus, & uobis Epiſcopus in Deum honoretur: *& Anacleti Pontificis Maximi Anteſignano milite comitatus;* Quo loco contemplari oportet Aaronem ſummum Sacerdotē, id eſt Epiſcopum fuiſſe: porrò filios presbyterorum demonſtraſſe figuram. *Leonem aſſectetur Hieronymus rerum ſcriptarum gloriâ celebris, inſignísque primipilus. Nam ex illâ ipſâ Epiſtolâ, quam ipſe idem ad Euagrium dedit, arrepta hæc ſunt:* Vt ſciamus traditiones Apoſtolicas aſſumptas de ueteri teſtamēto, quod Aaron, & filii eius, atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & presbyteri, & diaconi uendicant in Eccleſia. *Quod eâ de re Apoſtoli tradiderunt, non eſt dubium, quin à* CHRISTO *Domino acceperint. Nam uel ipſe Hieronymus, cùm in Diaconos inueheretur, teſtatus eſt ordinem eorum*

Leo Epiſt. 86.

Anacl. Ep. 2.

originem à Deo duxisse. Recitetur Doctoris celeberrimi ex Epistolâ, quam ad Rusticum Episcopum ille scripsit, testimonium: Sufficit huic ordini tantùm fuisse per Deum concessum, ut non solus Sacerdos in templo Dei totum agere, & implere uideatur. *Audite, quæ Cyprianus de his rebus, quas Apostoli tradiderunt, scripta reliquit:* Ipse summus Sacerdos sui est sacramenti institutor & auctor: in cæteris, homines Spiritum sanctum habuere doctorem. &, sicut par est Spiritui sancto, & CHRISTO diuinitas, ita in suis institutis æquà est auctoritas, & potestas. Nec minùs ratum est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quàm quod ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit. Manet singulis propria dignitas, & uniformis in suo genere stat actio omniũ. Nihil addi, nihil subtrahi nihil potest corrigi, uel mutari. *Nemini autem dubium est in ueteri testamẽto principi Sacerdotum ius et potestatem in omnem ordinem eorum, qui in tẽplo Deo seruiebant, fuisse. eâ de re sit lex ipsa documẽto.* Qui superbierit nolẽs obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille: & auferens malum de Israele. *Accedat & Clementis Romani præclara testificatio:* Primus enim Pontifex Aaron chrismate compositionis perunctus princeps populi fuit, & tanquàm

Cypr. de cœan Domini.

Deut. 27.

em.). III.

tanquàm Rex primitias & tributum per capita accepit à populo, & iudicandi populi ſorte ſuſcepta de mundis immundisq́; iudicabat. *In ſiniſtrò cornu eorum, qui Deo miniſtrant, ſucceſſio ſtatuatur. Cùm enim Dominus ex non paruo cœtu diſcipulorum duodecim elegiſſet, qui locum ſummorum Sacerdotum tanquàm Aarones, ut diximus, in Eccleſiâ tenerent, Apoſtolóſque nominaſſet, adſciuit duos & ſeptuaginta, qui adiutores tam multi laboris futuri eſſent, ac ueluti filij Aaronis ſacrorum adminiſtri: ut illi præeſſent, & imperarent: hi parerent, & imperata exequerentur. In aciem primarij Duces producantur, ut pro tuendâ Pontificum in Apoſtolorum locum ſucceſſione certamen ineant. Quorum primus ſit Clemens diui Petri & diſcipulus, & ſucceſſor. Hæc enim ille, cùm Epiſcopos alloqueretur:* Dominus noſter mittens uos uice ſua in loco Apoſtolorum ad prædicandum præcepit uobis docere omnes, omnesq́; uobis obedientes, ut ſibi, exiſtere. *Nimirùm Apoſtolos iuſſit Dominus Deúsque noſter docere omne hominum genus; ſed, quod eis dixit, cæteris omnibus, qui erant in eorum locum ſucceſſuri, præcepit: ut ipſe idem uiſus eſt teſtificari.* Quod uobis, *inquit,* dico, omnibus dico. *Et ille idem Clemens, quæ Petrus dixerat, cùm exponeret.* Epiſcopos uicem Apoſtolorum gerere Dominum docuiſſe dicebat, & reliquorum diſcipulorum uicem tenere presbyteros debe-

Epiſcop. ſucceſio. Luc. 6.

Clem. Ep. III.

Mar. 13.

Clem. Ep. I. ad Iac. fr.

re insinuabat. *Deindè Anacletus & summus Pontifex et Martyr gloriosissimus, qui à Petro tum didicit, tum etiam Sacerdos fuit institutus, ac rem ipsam latiùs dilucidiúsque explicauit.* Sacerdotum, *inquit*, ordo bipartitus est: & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari. Scitis autem à Domino Apostolos esse electos, & constitutos, & posteà per diuersas prouincias ad prædicandum dispersos. Cùm uerò messis cœpisset crescere, uidens paucos esse operarios, ad eorum adiumentũ LXXII. eligi præcepit discipulos. Episcopi uerò, Domini Apostolorum, presbyteri autem LXXII. discipulorum locũ tenent. *Tum uerò et sedis Apostolicæ decus, & Martyris gloriam adeptus Vrbanus:* Res ipsæ in ditione singulorum parochiarum Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum erant, & sunt usque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus. *Accedant Stephanus & Euaristus eandem dignitatem, eandémque laudem assecuti: quorum alter Apostolorum successores, Deíque regias sedes; alter Domini legatos Episcopos appellat: & Damasus nec inferiore amplitudine, nec minore prædítus sanctitate; qui Episcopos Apostolis successisse testificatur, presbyteros in Ecclesia LXXII. discipulorum speciem præferre. Eos sanctissimi, doctissimíque scriptores sequantur Isidorus, & Beda. Ille* presbyteri, *inquit*, successores, & Vicarii sunt LXXII. disci-

Anacl. Ep. 1.

Vrbanus. Ep. ad omn. Episc.

Stephanus. Ep. 2.

Euaristus. Ep. 2.

Damasus. Ep. 4.

Isidorus.

LXXII. diſcipulorũ, quos præmittebat Dominus IESVS CHRISTVS in omnem urbem, omnemq; locum, quo erat ipſe uenturus: ita presbyteri, quia ſunt adiutores Epiſcoporũ, rudes populos initiant, abluendos in Eccleſiæ communitatem recipiunt, in omnibus Myſteriis uſque ad manus porrigendas populo Dei miniſtrant: Epiſcopi uerò ſucceſſores ſunt Apoſtolorum. *Hic*, ſicut duodecim, *inquit*, Apoſtolos formam Epiſcoporum exhibere ſimul, & demonſtrare, nemo eſt, qui dubitet; ſic & hos LXXII. figurã presbyterorum, id eſt ſecundi ordinis Sacerdotum geſsiſſe ſciendum eſt: tametſi primis Eccleſiæ temporibus, ut Apoſtolica ſcriptura teſtis eſt, utrique presbyteri, utrique uocabantur Epiſcopi; quorum alterum ſcientiæ maturitatem, alterum induſtriam curæ paſtoralis ſignificat. *Ad hanc religioſam ſanctámque ſucceſſionem communiendam Paulus* CHRISTI *legatus proferat, tum quæ ad Epheſios ſcripſit*; Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos: *tum quæ ad Corinthios*: Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos. *Capita attingo: cùm hæc eadem integra uſque ad poſtremum alio loco produxerim. Ita enim illum in Eccleſiâ ordinem inſtituit Dominus, ut in eâ perpetuò permanere nullo prorſus modo poſſet, niſi ſuperſint, qui in eorum locum ſuccedant, quos ille Epiſcopos cõſtituit. conſtituit*

Beda l.3. ſuper Luc. ca. 13

Eph. 4.

1. Cor. 12.

tuit illos eosdem, quos Apostolos cooptauit. Ac, ne quis id in dubium uocet, ipse Imperator CHRISTVS *deducat in aciem, quæ Ioannes magistro ante omnes alios discipulos charus ab eo dicta esse memoriæ prodidit:* Sicut misit me pater, & ego mitto uos. *Quemadmodum ipse Legatus Dei Patris erat, sic & Apostolos legauit.* CHRISTI *Legati Episcopi dicuntur: ut Pontifices Maximi Anacletus, & Euaristus; ut sanctissimi Antistites Cyprianus, & Augustinus docuerunt. Ipse idem Clemens Episcopum* CHRISTI, *locum tenere apertè, dixit et pro Domino legatione fungi. Iam uerò cùm Deus, non hominum aliquis, Ecclesiæ dona dederit, teste illo eodem Paulo; Episcopia potestas, ut ille idem auctor, & eum secutus Areopagita Dionysius testantur, in diuinis muneribus percensetur: Apostoli, ut Clemens Alexandrinus tradidit, omnibus donis cœlestibus ita cumulati fuerint, ut, quo illi donati nõ sint, in Ecclesiâ reperiatur munus profectò nullum: sequitur ut, quæ est, si Areopagitæ credimus, præcipua dignitas, eâ non caruerint. Quem in modum hæc successio sit, institutiones Apostolorum declarant, atque ipse Clemens Petri successor exponit. Nempe* CHRISTO *Apostoli successerunt; Apostolis, qui Episcopi dicuntur. Audite, quæ Clemẽs perhibuit:* Intellexerunt sancti Apostoli, qui à Deo electi sunt: & nos, qui pòst ab eis electi sumus. *Quid? quos illi elegerunt, ab ijs nónne alij deinceps cooptati sunt? Quem morem semper*

tenuit

Ioan. 20.
Clem. Ep. III.
Eph. 4.
Areopagita
Clem. Alexandrinus.
Areopagita
Clem. Epit. Aposto. Instit.
Clem. Ep. III.

tenuit Eccleſia, donec facultatem cooptandi iure ſuo ſibi uni omnem, ut uniuerſæ paſtor Eccleſiæ Pontifex Romanus aſſumpſit. Producatur in medium ex Epiſtolâ, quam ille idem ad Iacôbum fratrem Domini dedit, locupletiſſimum teſtimoniũ. Epiſcopos per ſingulas ciuitates, quibus ille non miſerat; perdoctos, & prudentes, ſicut ſerpentes, ſimplicesque, ſicut columbas, iuxta Domini præceptum nobis, ut mitteremus, præcepit: quod etiam facere inchoauimus; & Domino opem ferente facturi ſumus. Vos autem per ueſtras diœceſes Epiſcopos ſacrate, & mittite: quia nos ad alias parteis, ut ipſe iusſit, agere curabimus. *Explicat enim, quæ ſibi Petrus mandauerat. Audite &, de quibus nos Apoſtoli admonuerunt, eodem Clemente auctore:* Etenim à Moſe Dei amicisſimo Principes Sacerdotum conſtituti ſunt: à Seruatore noſtro nos Apoſtoli: ab Apoſtolis uerò ego Iacobus, & ego Clemens, & nobiſcum alii, ne omnes iterum connumeremus. *At, nequis miretur, quem* CHRISTVS *Epiſcopum inſtituit, ab Apoſtolis dici conſtitutum. Dominus enim, ut ſæpe dictum eſt, Epiſcopos in Eccleſiâ conſtituit: nemini locum finitum, certúmque in orbe terrarum uniuerſo, in quo munere ſuo fungeretur, aſſignauit: ipſi inter ſe ut regiones, ciuitatéſque ſibi diſtribuerent, in quas religioſo quodam ritu dicarentur, præcepit. Itaque Iacôbus, qui frater Domini dicebatur,*

Clem. Ep. 1.

Clem. Epit. Apoſt. Inſtit.

batur, etsi Episcopus à CHRISTO *erat institutus; cùm suffragijs tamen omnium Apostolorum Spiritusancto admonitore, ac duce Hierosolymitanam Ecclesiam suscepisset, in qua summæ apud omnes esse admirationi uidebatur; suscepisset cùm merito suo, tum, ut putandum est,* CHRISTI *Domini causâ, ut in qua regione ille natus erat ad regnandum, qui ei sanguinis cognatione coniunctus esset, præsideret: in eo formam, normámque Episcopi aspectabilem in modum consecrandi, & in sede Pontificiâ collocandi, quám adhuc Ecclesia seruat, expresserunt. Accipite prætereâ, quæ sequuntur.*
Verùm non omnino quisque, qui crediderit, illico Sacerdos constitutus erat, uel principatus amplitudinem consecutus. Postquàm uerò assumptus est in cœlum, nos oblato secundum constitutionem ipsius sacrificio puro & incruento designauimus Episcopos, & presbyteros, & diaconos septem numero: quorum unus fuit Stephanus beatus ille Martyr haud inferior nobis erga Deum beneuolentia. *Ac, ne putetis humano instituto id fieri, audite, quæ paulò antè traduntur:* Nostis enim omnino à nobis nominatos esse Episcopos, presbyteros, & diaconos, precando & manibus porrigendis, scilicet ut ex differentia nominum differẽtiam rerum demonstraremus. Neque enim, qui uolebat, apud nos manum implebat, & creabatur Sacerdos excelsorũ,

ut tempore adulterini uitulorum sacrificii ab Hieroboamo deprauato Sacerdotio; sed qui uocabatur à Deo. nam nisi diuinitùs esset quiddam institutum ordinum differentia, planè sufficeret uno nomine omnia confici. Verùm à Domino docti rerum côuenientiam, Episcopis quidem, quæ pertinent ad Sacerdotii principatum, tribuimus: presbyteris autem, quæ ad Sacerdotium: diaconis uerò, quæ ad utrorumq; ministerium: ut quàm purissimè sacrorum ceremoniæ peragantur. *Quid dilucidiùs, quid euidentiùs de successione, & de præstantiâ Pontificum dici potuisset? Ac, ne dubitaremus de Apostolicarum institutionum auctoritate, ultimum eorum decretorum, qui Canones Apostolici uocantur, & recepti sunt, eas probauit. Nam à VI oecumenicâ Synodo reiectæ sunt, quæ erant ab Hæreticis deprauatæ. Ipsi etiam illi prisci Vates oraculis editis accincti in eodem cornu ponantur. Illud enim Dauiticum non semel à nobis allatum est:* Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. *Patres, Augustinus Apostolos; filios, Episcopos esse interpretatur. Nunc accipite, quod Hieremias effatus est:* Dabo uobis Pastores secundum cor meum, qui pascant uos scientia, & doctrina, & suscitabo uobis Pastorem seruum meum. *Nempe* CHRISTVS *hic est Pastorum princeps: illi Apostoli, & qui eos deindè sunt Episcopi subsecuti. In medio dignitas, atque potestas Pontifi-*

Psal. 44. August. Hier. 3.

Episcoporũ potestas iudicandi. *Pontificum collocetur; qua ij non modò presbyteris, ac sacrorum templique ministris præferuntur; sed uim quoque alligandi, & absoluendi, atque omnino iudicandi, gubernandíque adepti sunt non secùs, ac Petrus ipse: quanquàm ille primus, ut omnium longè princeps. Proferantur hunc in locum, quæ*
Matth.18. *iam suprà attulimus:* Amen dico uobis, quæcunque alligaueritis super terram. &, Ac-
Ioan. 20. cipite Spiritum sanctũ. &, Sedebitis & uos
Matth.19. super sedes duodecim iudicantes XII. tribus
Luc.22. Israelis. &, Ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus Regnum. *Eòdem mittat Paulus* CHRISTI *Legatus, quæ ipse scripsit de Antistitum potestate. Cùm eorum munia, qui Deo seruiunt, exponeret, in ijs gubernationem recenset, &*
1.Cor.12. *officium præsidendi.* Qui præest, *inquit*, cum solicitudine. &, Rogamus fratres, ut noueritis eos, qui laborant inter uos, & præsunt uo-
Rom.12. bis in Domino. &, Rogamus uos fratres,
1.Thes.5. corripite inquietos. &, Aduersus presbyterum accusationẽ noli accipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus. Peccãtes coràm omnibus argue: ut cæteri timorem habeant. *Atque, ut ostenderet præceptũ iudicandi diuinũ esse:*
1.Tim 5. Testor, *inquit*, coràm DEO, & CHRISTO IESV, & electis Angelis, ut hæc custodias sine præiudicio: nihil facies in alteram partem
Tit.1.& 2. declinando. &, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentresq; pigri. Testimonium

hoc

hoc uerum eſt. Increpa illos durè: & argue cum omni imperio: nequis te contemnat. *Illa uerò ad obedientiam, quæ illis debetur, attinét:* Obſecro uos, fratres: noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici; quoniam ſunt primitiæ Achaiæ; & in miniſterium ſanctorũ ordinauerunt ſemetipſos: ut uos ſubditi ſitis iis, & omni cooperanti & laboranti, *&c.* Obedite præpoſitis ueſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus ueſtris reddituri. *&c.* Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. *Nam, ſi Regibus, ut pareant omnes, præcipit; multò magis, quibus poteſtas regendæ Eccleſiæ diuinitùs defertur, ut Pontificibus obediant, mandat. Mittat et Anacletus primipulum illum haſtatum.* Hic ergo, *inquit Petrum oſtendens*, ligãdi ſoluẽdiq; poteſtatẽ primus accepit à Domino; primusq; ad fidem populum ſuæ prædicationis uirtute adduxit, uerboq; inſtituit. cæteri uerò Apoſtoli cum eodem pari conſortio honorem & poteſtatem acceperunt: ipſumq; Principẽ ſuum eſſe uoluerunt: qui etiam, iubente Domino, toto orbe terrarum diſperſi Euangeliũ prædicauerunt. Ipſis quoque decedentibus, in locum eorum Epiſcopi ſucceſſerunt. quos qui recipit, & uerba eorum, Deum accipit: qui autem ſpernit eos, eum a quo miſſi ſunt, & cuius legatione funguntur, ſpernit

1. Cor. 16.

Heb. 13.

Rom. 13.

Anacl. ep. 2.

nit; & ipsi indubitanter spernuntur à Domino. *Hunc sequatur eius Armiger Pontificij iuris interpres, qui argumentatur Episcopum Apostolo ordine & ratione consecrationis parem esse; in administrando autem inferiorem. Nam, Petro qui succedunt, totam Ecclesiam administrant: qui uerò Apostolis, partem. Eodem in loco ponantur ex Antepilanis summorum Pontificum, qui hanc Episcopiam potestatem defendant, Vrbani:* Quod sedes in Ecclesiis Episcoporum excelsæ constitutæ, & præparatæ inueniuntur, ut throni speculationem & potestatem iudicandi, & soluendi atque ligandi à Domino sibi datam materiam docent. Vndè ipse Seruator in Euangelio ait, Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. *&*, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: &, quorum retinueritis, retenta sunt. Ista prætulimus charissimi, ut intelligatis potestatẽ Episcoporum uestrorum, in eisq; Deum ueneremini. *Leonis Magni:* Cùm dixit CHRISTVS Petro, Tibi dabo claues Regni cœlorum, *& cætera quæ suprà attulimus. Leonis* VIIII, Quamuis enim omnibus generaliter Apostolis dictum sit à Domino, Quæcunque ligaueritis in terra, ligata erunt & in cœlo: & quæcunque solueritis in terra, soluta erunt & in cœlo:

Glossa.

Vrb. in epistola ad omnes Episcopos data.

Leo in Anniuersario.

Leo IX. ad Patriarchã Antiochenum.

cœlo: tamen non sine causa specialiter & nominatim dictum est beato Petro Apostolorum Principi, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues Regni cœlorum. & in alio loco, Confirma fratres tuos. *Innocentij* III. Petro dictum est in Euangelio, & audisti sæpius, & legisti. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Quod si omnibus etiam Apostolis simul dictum esse reperias: non tamen aliis sine ipso. *& alio loco*: Sacramentum hoc nemo conficere potest, nisi Sacerdos, qui fuerit ritè ordinatus secundum claues Ecclesiæ, quas ipse Apostolis concessit, eorúmque successoribus, IESVS CHRISTVS. *Iam uerò Ioannes Pontifex Romanus interdicendi uim, religioséque proscribendi felicem Episcopi mucronem appellat. Eam, ut cæteros omneis diuinas potestates, quis prœterquàm Deus, qui unus auctor est omnium munerũ cœlestium, dare potest? Prodeat in aciem Magnus ille Gregorius, qui ab hac parte prœlium committat*. Libet, *inquit*, ergo intueri, illi discipuli ad tanta onera humilitatis uocati, ad quantum culmen gloriæ sint producti. Ecce non solùm de se ipsis securi fiunt: sed etiam Principatum superni iudicii sortiuntur; ut uice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdã uerò

Innoc. III. ad Patr. Cō stantinop.

In cō. Lateran.

Ioannes Papa.

Greg. Magnus.

uerò relaxent. Horum nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent; & soluendi; & ligandi auctoritatem suscipiunt; qui gradum regiminis sortiuntur. *Comitentur eum magni nominis duces, Cyprianus maximus* CHRISTI *Athleta; Basilius ille Magnus, qui ut eloquentiâ Ecclesiasticis meo quidem iudicio scriptoribus cæteris omnibus præstat, sic uitæ sanctitate à nemine superatur; Chrysostomus in scripturâ diuinâ explicandâ summam laudem adeptus; Hilarius in scribendo accuratè ac doctè inferior nemine; Epiphanius impiarum omnium sectarū acerrimus exagitator; et Ambrosius Ecclesiasticorum Doctorum decus. Quorum quidem arma hæc sunt. Cypriani*; Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam potestatem parem tribuat, & dicat, Sicut mittit me pater, & ego mitto uos: accipite Spiritum sanctum, sicui remiseritis peccata, remittuntur illi; sicui retinueritis, retinentur: Tamen, ut uirtutem manifestaret, unitatem eiusdem originem ab uno incipientem, sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari cōsortio præditi & honoris, & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. *Basilij*; Hoc ab ipso CHRISTO docemur, qui Petrum post se Ecclesiæ suæ pastorem constituit. Petre, inquit, amas me: Pasce oues meas

Cypr. de simpl præl.

Bas. de uita solit.

as; & consequenter omnibus pastoribus, & doctoribus eandem potestatem tribuit. cuius signum est, quod omnes ex æquo ligant & absoluunt; quemadmodum ille, &c. Si itaque mundi huius principibus, qui Principatum iuxta humanas leges acceperant, tantã subiectionem per pios diuina lex tribuit, idque adhuc cùm impietate uiuerẽt: quantam obtemperantiam debet religiosus ei, qui à Deo constituitur Princeps, & ab ipsius legibus potestatem accipit? Quomodò non resistit ordinationi Dei, qui præposito suo resistit? *Chrysostomi:* Sicut misit me pater & ego mitto uos. Quare hoc dicit? eorum animos dirigit, & suam proponit auctoritatem: si quidem suũ eis relicturus erat ministerium, & quod nondum rogassent patrem, sua eis auctoritate potestatem præbet. Insufflauit enim, & dixit, Accipite Spiritum sanctum. Quorumcunque remiseritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis retenta sunt. Quemadmodùm enim Rex præfectos mittens, ut in carcerem reos intrudant, ut liberent, potestatem præbet: ita IESVS discipulos dimittens hac munit auctoritate. & quid nam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cœlestium potestatem à Deo filio illis traditam. *Hilarij*, Specialem populi principibus, id est Episcopis in expectatione aduentu-

Super Esa. c. 13.

Chrys. Hom 86.

Idem de Sacer. l. 3.

uentuíque suo solicitudinem mandat. Hunc enim seruum fidelem atque prudentem propositum familiæ significat. & nos, ò sancti & beati uiri, ob fidei uestræ meritum claues Regni cœlorum sortiti, & ligandi atque soluendi in cœlo & in terra uos adepti potestatem, gesta esse per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM Dei filium uideratis. *Epiphanij*, Quid negotii esset Episcopo, si presbyterū non obiurgaret? si non super presbyterum haberet potestatem? Quemadmodùm etiam rursus dicit, aduersus presbyterum ne cito admiseris accusationem, nisi coram duobus, aut tribus testibus: & non ad aliquem presbyterum. *Ambrosii*: Idcircò nos, quibus in uerbis diuinis credita est dispensatio, & qui gregem CHRISTI alendum suscepimus. *Et cætera, quæ iamdudum recitata sunt, cùm exponeretur præceptum illud, Pasce oues meas. His etiam accedant tela illa Augustini, ibidem in medium producta. Deducatur ad pugnam illud ex Apostolicis institutionibus*: Tuque sede in Ecclesia, cùm sermonem habes: ut potestatem habeas eos, qui peccauerint, iudicandi, nobis enim Episcopis dictum est, Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlis: quodcunque solueritis super terram, erit solutum & in cœlis. Iudica ergo cum potestate, tanquàm Deus. *Eādem in parte constituatur conden*

dæ

Super 1.Tim.5.

Ambr. in Pastorali.

August. Clem.

In Aposto. Instit.

dæ legis potestas, quam primarij duces tutantur Cy-prianus, & Augustinus, qui eam Episcopis à Deo delatam esse dixerunt. Atque inter munera Episcoporum, quæ nullo prorsus modo in presbyteros conueniunt, primum in certamen descendat, quod est initandi beati Pauli præsidio munitum. Noli negligere gratiā, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiā cū ĩpositione manuū presbyterii. *In quo etiā sint Chrysostomus, et Theophilactus patres sanctissimi, & scripturarū explanatores luculentissimi: qui, quos ille dixit manus porrexisse, Episcopos fuisse tradiderunt. Addit Chrysostomus, quod & ille significauit, Episcopum ab Episcopis, non à presbyteris in Pontificiâ sede collocari. Est & decretum Simplicij Pontificis Romani:* Decernimus, ut, qui gradus Sacerdotalis aut Leuitici ordinis peruersè adepti sunt, depositi æquo iudicio amittant. *Quod Concilium Hispalense confirmauit; cùm Episcopus in cooptando manus porrexisset, simplex Sacerdos bene precatus esset. Nam ex diuino instituto si præsbyteri ijdem essent, qui & Episcopi; consequeretur, ut, quemadmodùm presbyteros Episcopi initiant, ita Episcopos possent presbyteri cooptare. Deindè, quod in unctione consecrandâ uersatur, sacrosanctorum conciliorum decretis uallatum. Nam alterum & tertium Carthaginensia concilia cauerunt,* Ne presbyterorum quisquam Chrisma conficere audeat. *Quod primum Toletanum, ut uetus uniuersæ Eccle-*

Cypri. August. Potestas legis condendæ. Potestas initiandi. 1. Tim. 4. Chrysost. Theophyl. Simplicius Papa. Concil. Hispal. Potestas Vnctionis consecrandæ Concil. Carthaginensia.

siæ institutum, *corroborauit*. *Hoc munus asse©tetur*, *quæ Chrismate utitur ad diuinum spiritum afflandum*, *uis confirmandi*, *atque*, *ut ueteres loquebantur*, *consignandi*, *Episcopi propria illa quidem*, *sed presbyteris interdum necessitatis caus: à Rectore Ecclesiæ uniuersæ permissa*. *Assectetur*, *inquam*, *beati Lucæ*, *qui Apostolorum acta memoriæ prodidit*, *clypeo protecta*. Cùm enim Apostoli, qui erant Hierosolymis, audissent Samariam recepisse uerbum Dei per prædicationem Philippi diaconi, miserunt ad eos Petrum & Ioannem: qui, cùm uenissent, orauerunt pro eis, ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum uenerat: sed baptizati tantùm erant in nomine Domini IESV. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. *Iam uerò cùm Paulus Ephesum profectus reperisset*, *qui lauatione à Ioanne institutâ abluti*, CHRISTI *nomen profiterentur*, *an esset Spiritus sanctus*, *ignorare*; *eos nomine Domini* IESV *ablui iussit*: Et cùm, *inquit*, imposuisset illis manus Paulus, uenit Spiritus sanctus super eos. *Posthac*, *quem illi*, *precando manibúsque porrigendis Spiritum sanctum affluerunt*: *eundem Episcopi precatione*, *&* *sacrâ unctione*, *frontem signando*, *præbere consueuerunt*. *Nam Florentino Concilio declaratum est pro illo ritu*, *quo manus porrigebantur*, *in Ecclesiâ dari confirmationem*. *At enim in confirmando*

Potesta- cō firmandi.

Act. 8.

Act. 19.

Concil. Florent.

do quæ sacra unctio adhibetur, tradidit Fabianus et Pontifex Maximus, et Martyr gloriosus, à CHRISTO *Domino fuisse institutam.* In illa die, *inquit*, Dominus IESVS, postquàm cœnauit cum discipulis suis, & lauit pedes eorum, sicut à sanctis Apostolis maiores nostri acceperunt, nobisque reliquerũt, chrisma conficere docuit. Ipsa enim lauatio pedũ nostrorũ significat baptismum, quando sancti chrismatis unctione perficitur, atque confirmatur. *Quare, ut soli Apostoli manus porrigebant, ita ad solos Episcopos, qui eorum in locum surrogantur, attinet unctionem consecrare; & eã, qui nomine* IESV CHRISTI *abluti fuerint, consignare. Nemo enim ex* LXX. *discipulis, quibus presbyteri dicuntur successisse, reperitur usquàm manus porrexisse: ut dubitandum non sit carere presbyteros facultate confirmandi. Accedant, tanquàm ueri præsidia, sanctissimorum auctorum testimonia: nimirùm Pontificum Romanorum, & trium quidem Martyrum, qui pro glorioso* CHRISTI *nomine uitam profuderunt. Clementis*, Omnibus festinandum est, ut sine mora Deo renascantur, ac demum ab Episcopo consignentur, idest septiformem gratiam Spiritus sancti accipiant. *Nam, ut ille idem ait*, Qui per aquam fuerit regeneratus, nec postea septiformi Spiritus sancti dono ab Episcopo confirmatus, perfectus esse Christianus nequaquàm poterit,

De chrismate Fabianus Papa.

Clemens Papa.

S 2 nec

nec sedem inter perfectos habere; nisi necessitate, non incuria, aut uoluntate hoc minus sit assecutus: ut à beato Petro accepimus, at cæteri sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt. *Vrbani*, Omnes fideles ab Episcopis manibus porrigendis Spiritum sanctū accipere debent: ut plenè Christiani inueniantur. quia, cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatatur. *Eusebij*, Porrigendarum manuum sacramentum magna ueneratione tenēdum: quod ab aliis perfici nō potest, nisi à summis Sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse: nec ab aliis, sicut iam dictum est, quàm ab iis, qui illorum locum tenent, unquàm perfici potest, aut fieri debet. Nam, si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & uacuum: nec inter Ecclesiastica unquàm reputabitur sacramenta. *Totidem uerò eorum, qui illud idem præclarum diuinúmque nomen adeò disertè sunt professi; ut, si opus fuisset, pro eo mortē oppetere, nunquàm recusassent. Damasi, Quod solis Apostolis, eorúmque successoribus proprium sit officium tradendi Spiritus sancti, liber Actorum Apostolicorum docet, præsertim cùm ex septuaginta Discipulis, quorum in Ecclesiā præbyteri speciem gerunt, nemo legatur donum Spiritus sancti manibus porrigendis, ut prædictum est, tradidisse.*

Vrbanus Papa.

Eusebius Papa.

Damasus Papa.

diſſe. Innocētij, De cōſignandis uerò infanti- magnifeſtū eſt ab alio fieri, quàm ab Epiſco po nō licere. Nam presbyteri, licet ſint Sacer dotes: Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus ſolis deberi, ut uel conſignent, uel Spiritum paracletum tradant, non ſolùm conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, uerùm & illa lectio Actorum Apoſtolicorum; quæ aſſerit Petrum & Ioannem eſſe miſſos, qui iam baptizatis Spiritum ſanctum traderent. Nam presbyteris, ſiue extra Epiſcopum, ſiue præſente Epiſcopo cum baptizant, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo ſit conſecratum: non tamen frontem eodem oleo ſignare; quod ſolis debetur Epiſcopis, cùm tradunt Spiritum paracletum. *Leonis*, Nam, quamuis cum Epiſcopis plurima præsbyteris myſteriorum communis ſit diſpenſatio: quædam tamē auctoritate ueteris legis, quædam nouæ, etiam Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita nouerint; ſicut Presbyterorum & Diaconorum & Virginum conſecratio: ſic & conſtitutio altaris, ac benedictio, uel unctio, ſiquidem eis nec erigere altaria, nec Eccleſias uel altaria conſecrare licet: nec manibus porrigendis fidelibus, qui ſint uel baptizandi, uel conuerſi ex hæreſi, paracletum Spiritum tradere: nec chriſma conficere: nec

Innocētius Papa.

Leo ep. 86.

chrismate baptizatorum frontes signare. *Accedat & auctoritas Hispalensis Concilij secundi, in quo hæc eadem repetita comperies: et Constantiensis, in quo illa impietas execratione conscissa est, quæ asserebat Pontificem Maximum, cæterósque Pontifices iuuenum confirmationem, clericorúmque cooptationem, & locorum religiosorum consecrationem quæstus, honorísque causa sibi reseruasse. Acie sic instructa, subsidia comparentur: quæ, si res in angusto esse uideatur, sint submittenda.*

Concil. Hispalen 2. Conc. Constantiense.

Subsidia. *Comparentur autem ex his, quæ præterea sanctissimi patres, eruditissimique rerum diuinarum scriptores tradiderunt. Subsidant hæc igitur quasi Triarij milites; Clementis Pontificis Romani:* Nullum etiam presbyterum in alicuius Episcopi parochia aliquid agere debere sine eius permissu Petrus docebat: sed & cunctos presbyteros propriis Episcopis in omnibus absque mora obedientes instituente Domino esse debere. *Ac paulò post*, Ecclesiæ claues Episcopos esse dicebat. Ipsi enim habent potestatem claudere cœlum; & aperire portas eius: quia claues cœli facti sunt. Admonere autem eos neminem debere docebat: quia oculi Domini sunt: & qui eos tangit, tangit pupillam oculi eius. *Et alio loco*, Episcopos iubebat Sacerdotes suos cunctosque reliquos Ecclesiæ ministros, atque omnem plebem sibi commissam uerbo diuino & mandato instruere, &

Clem. Ep. 1.

Matth. 16. Zach. 2. 2. q. 7. Sacerdotes.

& dirigere: hosque omnes suos Episcopos tota animi uirtute diligere, ut oculos suos: quia oculi sunt illorum: eorum præceptis in omnibus obedire; etiam si aliter, quod absit, agant. *Ignatij Episcopi Antiocheni, quem Ioannes Apostolus habuit auditorem, cùm ad Ephesios literas ille dedisset*, Omnem itaque, quem mittit pater familias pro sua dispensatione, sic nos oportet suscipere, quemadmodùm ipsum, qui mittit. Ergo Episcopum, sicut ipsum Dominum, oportet contemplari Domino assistentem: *Et cùm ad Philadelphienses*, Principes subditi estote Cæsari, milites Principibus, diaconi presbyteris ut sacrorum administratoribus, presbyteri uerò, & diaconi, omnes clerici, simul & omnis populus, Principes, atque Cæsares obediant Episcopo, Episcopus autem CHRISTO. *Hieronymi; cùm in Iouinianum inueheretur:* Super petram fundatur Ecclesia. licet id ipsum super omnes Apostolos alio loco fiat, & cuncti claues Regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio. *Augustini*, Nam, si in Petro non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues Regni cœlorum; quæcunque solueris in

Ignatius Episcopus.

Hieronym.

August. Tract. 50. super Ioan.

terra, ſoluta erunt & in cœlis: &, quæcunque ligaueris in terra, ligata erunt & in cœlis. Si hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia. Sin autem in Eccleſia fit, ut quæ in terra ligantur, ligentur in cœlo; & quæ ſoluuntur in terra, ſoluātur in cœlo: quia, cùm excommunicat Eccleſia, in cœlo ligatur excommunicatus: cùm reconciliatur ab Eccleſia, in cœlo ſoluitur reconciliatus. Si hoc ergo in Eccleſia fit: Petrus, quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit: ſcilicet in Petri perſona ſignificauit. *Leonis Magni, cùm Rauennium Arelatenſem Epiſcopum per literas alloqueretur:* Euge ſerue bone, & fidelis: quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. *Quippe, ut ſuprà diximus, ſeruus ille fidelis & prudens, cui pater familiâs domum ſuam adminiſtrandam commiſit, Epiſcopus eſt. Et in epiſtolâ, quam ille ſcripſit ad Theodorum Foroiulienſem Antiſtitē:* Mediator enim Dei & hominum, Deus & homo CHRISTVS IESVS, hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus ſatisfactionem pœnitentiæ daret, & eadem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per ianuam reconciliationis admitteret. *Baſilij*, Noſtrum eſt Epiſcopum petere, Domini uerò eum deſignare. *Et alio loco, cùm exponeret uerba illa Eſaiæ,*

Leo Magnus.

Baſilius. Ad Neocæſ.

Esaiæ, Instituam Iudices tuos, sicut priùs. Tacitis Regibus de Iudicibus meminit. Quoniam illa Iudicum Resp. liberior erat, & naturæ conuenientior; cùm populus suis legibus uiuebat, Deumque solum agnoscebat. status autem Regis ex imprudentia illorum profectus est. Quare oportebat, ut quibus beneficium cōferebat, beatiorem statū restitueret. *Nimirùm cùm Remp. Christianam fundaret Dominus Deúsque noster, ut Synagogæ Sacerdotes olim iudices dederat; ita Ecclesiæ regendæ Episcopos præfecit. Accedant & rationes summorum diuinæ scripturæ interpretum armis protectæ. Nemini dubium erit Iudam à* CHRISTO *Domino Episcopum fuisse institutum, qui illud memoriâ repetierit,* Et Episcopatum eius accipiat alter, Psal. 108.
quem in modum ab ipso Petro intelligatur. Quippe in Episcopiam dignitatem, quam cùm à Domino Iudas proditor accepisset, abiecerat; alterum esse surrogandum. Qui discipulum, à quo proditus est, Episcopum fecit; cæteros Apostolos, qui pro se uitam profuderunt, in eodem speculandi loco non posuit? Qui in locum proditoris Matthias successit, à quo suffectus est? nónne à Domino, si Chrysostomo, si Dionysio Areopagitæ, si cæteris omnibus locupletissimis testibus credere par est? Deum aiunt monstrasse, quem præferebat: Petrum, in quem erat electus, ei locum assignasse. Quid Paulus? nónne se à Domino id dignitatis potestatísque accepisse

se profitetur, quod ille Apostolis anteà dederat? Pontificium id fuisse, quo se uel Petro parem esse declarat, Hieronymus, Ambrosius, & Chrysostomus planissimè testificantur: nam ad Euangelij prædicandi, regendæque Ecclesiæ potestatem hoc ipsum referunt. Audiatur uerba Pauli ad Galathas scribētis:

Gal. 1. Notum nobis facio, fratres, Euangelium, quod annuntiatum est à me, non esse secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: sed per reuelationem IESV CHRISTI. *Et paulò post*, Mihi autem, qui uidebantur esse aliquid, nihil contulerunt. *Audiantur, quæ eâ de re Hieronymus scripserit:*

Hierony. Potest & obliquè in Petrum, & in cæteros dictum accipi, quod non ab Apostolis ei sit traditum Euangelium, sed ab ipso IESV CHRISTO, qui & illos Apostolos elegerit. Vnus atque idem, *inquit*, mihi

Gal. 2. Euangelium præputii, & Petro circuncisionis credidit: me misit ad gentes: illum posuit in Iudæa. *Quæ deindè Ambrosius*, Nihil dicit se ab Apostolis consecutum: sed à Deo.

Ambros.

Gal. 2. Qui enim operatus est Petro in Apostolatū circūcisionis, operatus est mihi in gentibus. Petrum solum sibi comparat: quia primatum ille accepit ad fundandam Ecclesiam: se quoque pari modo electum, ut primatum habeat in fundandis gētium Ecclesiis: ita tamē, ut & Petrus gentibus prædicaret, si causa fuisset

ſet; & Paulus Iudæis. nam uterque inuenitur, utrunque feciſſe. Sed tamen plena auctoritas Petro Iudæis prædicandi data digno ſcitur: Paulo perfecta auctoritas gentibus prædicandi. *Quæ denique Chryſoſtomus*; Iam ſe cæteris honore parem oſtendit. Nec ſe reliquis illis, ſed ipſi ſummo comparat declarãs, quod horum unuſquiſque parem ſortitus ſit dignitatem. quam à Deo, non ab hominibus ei datam eſſe teſtatur Lucas. Miniſtrantibus, *inquit*, illis Domino ac ieiunantibus, dixit Spiritus ſanctus, ſegregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos.. *Ac, non multò poſt*, Et ipſi quidem miſsi à Spiritu ſancto abierunt. *Accipiantur & quæ deindè ille idem Chryſoſtomus, cùm locum illum Epiſtolæ prioris, quæ ad Corynthios ſcripta eſt, exponeret*. Nam, ſi ampliùs aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem ueſtram, non erubeſcam. Aufert, *inquit*, ea quæ impediunt; &, quæ noxia ſunt, amouet; & uera ad ædificationem componit. quippe hoc munus Epiſcopi eſt uim gubernandi habentis, *Et quæ, cùm alterius hæc uerba*, Exiſtimo me nihil feciſſe minùs, quàm magnos Apoſtolos, *explicaret*: Non iam, *inquit*, cum illis, ſed cùm Petro, ac cæteris ſe comparat. *Non enim dixit*, Nihil me ampliùs

Chryſoſt. Act. 13. Chryſoſt. 1. Cor. 2. Cor. 11.

locuti

locuti sunt Apostoli. *Sed quomodo? Arbitror sic,* Puto nihilo minorē me esse eximiis Apostolis. *Non sanè dixisset Paulus se egregijs Apostolis esse nihilo inferiorem existimare, nisi illi à Deo omnē Episcopiam potestatem accepissent: quam si ab homine habuissent, meritò se ijs præferre potuisset. Quare uidetis, quàm totâ errent uiâ, qui Apostolos à Petro, non à Deo, asserere audent Episcopos fuisse institutos. Cùm autem Paulus, qui à Spiritu sancto missus esset, à* CHRISTO *Domino se missum ait; euidentissimè ostendit, ut docet Chrysostomus, Filij eandem esse, atque Spiritus potestatem: quemadmodùm teste Hieronymo, quæ Patris est, eandem esse Filij diuinitatem; cùm* CHRISTO *in literis ad*
Gal. 1: *Galathas datis attribuat, quæ alio loco Deum Pa-*
1. Cor. 12. *trem impertiuisse testificatur.* Alios, *inquit*, posuit Deus in Ecclesia primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, *& quæ sequuntur. Immo uerò, cùm in illâ eadem Epistolâ se Euangelium accepisse per reuelationem* IESV
Gal. 1. CHRISTI *dixisset: paulò post,* Placuit, *inquit,* ei, qui me segregauit ex utero matris meæ, & uocauit per gratiam suā, ut reuelaret filiū suum in me, ut annunciarē illum in gētibus. *Quia uerò, quod Dei munus est, quod opus Patris, & Filij, & Spiritus sancti; impudentis, stultique esset, hominum cuiquam id tribuere; desinant aduersarij negare, à Domino Episcopos & institui, & uim omnem Pontificiam habere. Quamobrem cùm*

Domi-

Dominus Deúſque noſter IESVS CHRISTVS *ſtatuiſſet, quemadmodùm ſuâ præſentiâ, cùm inter homines uitam ageret, Eccleſiam regebat, eius myſteria diſpenſabat, Antiſtites inſtituebat; ſic poſtquàm è conſpectu mortalium omnium eſſet diſceſſurus, Eccleſiæ ſpiritu ſuo ſe perpetuò eſſe adfuturum, Epiſcopóſque rectores, myſteriorúmque adminiſtros daturum; principiò diuini ſui ſpiritus editâ claráque uoce hoc ipſum declarauit*, Segregate, *inquit*, mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod eos aſſumpſi; *Vt poſthac cùm inſtituerentur Antiſtites, Eccleſiæque præficerentur, à ſe inſtitui, præficíque crederentur: affirmante Auguſtino temporibus Apoſtolorum manibus porrigendis, Spiritum ſanctum, qui ſub ſenſum oculorum caderet, dari conſueſſe; ut deindè, cùm manus porrigerentur, etſi non aſpectabilem ſe præberet, tribui tamen pro certo haberemus.* Auguſt.
Spiritus ſancti uerba illa cùm exponeret Cyprianus, Cyprianus.
Spiritus ſanctus, *inquit*, declarat ſuum eſſe Epiſcopos ponere ad Eccleſiam regendam, atque ad opus: quod, quale ſit Paulus ipſe exponit, nempe opus miniſtrãdi, opus bonũ.
Audite, quæ Latinorum ut uetuſtiſſimus, ita clariſſimus id genus ſcriptorum Tertulianus de Spiritu ſancto, quem CHRISTI *Vicarium uocat, tradidit*. Hic eſt, *inquit*, qui Prophetas in Eccleſia conſtituit, magiſtros erudit, linguas dirigit, uirtutes ac ſanitates facit, opera mirabilia Tertullian.

lia gerit, discretiones spirituum porrigit, gubernationes cōtribuit, cōcilia suggerit, quæque alia sunt charismatum dona, componit, & digerit: & ideò Ecclesiā Domini undique & in omnibus perfectā, & consumatam facit. *Quid luce clarius dici potuisset ad ostēdendū Ecclesiæ Rectoribus à spiritu diuino uim tribui gubernandi? Audite et, quæ Basilius:* Spiritus sanctus est, qui distribuit, filius qui mittit, fons & auctor pater. *Vt planè intelligatis nec Dei minùs esse Episcopias potestates deferre; quàm, quæ non sunt, creare, et efficere, quod uis naturæ non potest; nec plus hoc, quàm illud, sibi assumere homini licere.* Postremò *ad agmen subsidiorum ex scholis educatur Aquinas ille, quo nihil doctius, nihilque sanctius habet Theologia. Ille enim in his, quæ scripsit contra Gentes; & in his, quæ in præfatione, cùm Pauli literas ad Timotheum explicaret, docuit à* CHRISTO *discipulis sic delatam esse curam, & potestatem, ut ad eos, qui subsecuturi essent, deriuaret; nempe ad Ecclesiam ædificandam; ut perpetuanda omnino sit, quandiu ædificari Ecclesiam oportuerit. Quis autem dubitat nondum ædificari desiuisse, nec antequàm rerum uniuersitas finem habeat, desituram. Atque, cùm munera diuina, quæ à* CHRISTO *Domino proficiscuntur, aspectabilibus quibusdam signis deferantur, par etiam fuisse, ut aspectabilem quendam in modum, quippe manibus porrigendis, uis illa cœlestis præberetur. Et alio loco, tametsi ad uerum*

D. Thom. l. cōtra gēt. 4. c. 74.

Cap. 76.

uerum natiuúmque CHRISTI corpus consecrandum non plus Episcopo, quàm cuiuis Sacerdoti sit potestatis: ad regendum tamen cœtum Christianum longè hunc illo esse præstantiorem: cùm Sacerdos esse nemo possit, qui ab Episcopo non cooptetur, nec res ulla magni ponderis in Ecclesiâ sit agenda, quæ ei non reseruetur: quippe cùm sine eius auctoritate nihil, quod eiusmodi sit, exequi possit Sacerdos: ac perspectum esse, uim Christiani populi gubernandi ad Episcopiam dignitatem attinere: &, quemadmodùm oportet in aliquâ Ecclesiâ unum esse Episcopum, qui toti illi, ut caput omnium, præsideat; necesse item esse, ut in Ecclesiâ uniuersâ unus sit Princeps, qui præsit. Quare, si comparatio uera est, quo iure, & qua potestate uniuersæ Ecclesiæ Pontifex Romanus; Ecclesiæ suæ Episcopus præponitur. Nec prætéream, quæ in opusculo XIX. is idem literis mandauit. Cùm enim rationem afferret, cur Episcopus in eos, qui parocho subiecti sunt, proximam habet uim iuris dicendi; non item Archiepiscopus, in quos Episcopo ius est; Sacerdotis ait potestatem & lege naturæ, & iure diuino Episcopo subiectam esse: quandoquidem, ut Dionysius docet, si cum Episcopiâ potestate conferatur, sit illa imperfecta. In Episcopum uerò Ecclesiasticâ institutione Archiepiscopum ius habere: ut non ullâ aliâ in re huic ille subiiciatur, nisi in qua Ecclesiâ statuerit: at Episcopo Sacerdos, in quem ei iure diuinò potestas est, nullâ non in re parêre cogatur. Nec sanè secùs, illum in eos,

op.XIX.c.4

eos, qui sibi subiunguntur, ac summum Pontificem in omnes Christianos, proximam iurisdictionem obtinere. Quid præterea memorem? an, quæ ille idem tradidit in opere illo diuino, ac nunquam satis laudato, quam Summam appellauit, cùm Episcopos Apostolorum successores uocat; Episcopiam potestatem ait & iurisdictione præditam esse, & ordinis dignitate; & si multò maior est, qua Pontifex Maximus præstat, eiusdem tamen generis haberi; quæ Sacerdotis est, & generis diuersi, & longè inferiorem? Aut, cùm de sententiâ Dionysii concludit Episcopos esse in optimo perfectóque statu; propterea quod, cùm Episcopium munus, quod pastorale officium uocant, suscipiunt, earum rerum se obligatione deuinciunt, quæ ad perfectionem spectant; in quibus id recensetur, ut pro ouibus suis uitam ponere debeant. Hanc obligationem dicit ab Apostolo bonam professionem appellari: cùm Timotheus id esset in conspectu multorum testium professus, dum manibus porrigendis in Episcoporum ordinem ab eo coptaretur. Nam adhiberi ad id profitendum ait solennem quandam consecrationem, ut interpres commonefecit, cùm exposuit illud, Resuscita donum Dei, quod in te est, cùm ego manus porrexissem: *& diuus Dionysius, qui docuit, cùm Episcopus initiatur, super eius caput diuina effata imponi, ad significandum participem illum esse integræ, totiúsque Hierarchicæ potestatis. An, quæ cùm de materiâ rerum omnium multa dixerit: nempe in statu perfe-*

In Addit. ad 3. q. xl.

2.2. q. 184. art. 5.

2. Tim. 1. Glossa.

In quol. 1. q. vii. ar. 14

cto

Eo haud quaquàm alium, nisi Episcopum collocari: qui solenni ac religioso ritu, cum sacra initiáque tra duntur, animorum curationem sumit: parochis delegari potiùs quædam officia, quàm aliquem perfectionis locum assignari. De potestate autem gubernandi, quæ in acie princeps presbyteris opponitur, cùm alio loco multa disseruerim, hoc etiam nonnulla attigerim, id non puto esse prætermittendum, quòd ita apta nexáque est cum Episcopi dignitate; ut, quamuis ei facultas iuris dicendi à Pontifice Romano deferatur, non fit, quò minùs diuinâ lege muniatur. Cùm enim dubitandum non sit à CHRISTO *Episcopos esse institutos, ut quas, custodiendas oues susceperint, pascant; quem populum erudiendum sumpserint, doceant; quæ sibi Ecclesia delata fuerit, regant; intelligere non possum eos hanc potestatem à Deo cum dignitate non proximè habuisse eò, quòd præfecturam, in qua munere suo fungi possint, à Pontifice Maximo accipiant. Ac, tametsi à Deo nō proximè habetur, propterea quòd eam tribuit Pontifex Romanus: non tamen sequitur, ut non sit diuino iure communita. At contrà, qui Episcopos à Deo potestatem iuris dicendi inficiantur habuisse, qua presbyteris sint iure diuino superiores, exercitum instruunt. Atque ad dextrum quidem cornu, quod nos in acie collocauimus, id opponunt: quod satis sit, quæ data sunt ad significandum, ijs aliquâ ex parte, quæ significata sunt, respondere. Erant enim in ueteri testamento ceremoniæ: sunt & in nouo,*

Quæ aduersarii obiiciant.

T non

non sanè rationis eiusdem. Erat in illo Sacrificium; est & in hoc; sed generis diuersi. Erat in illo Sacerdotium, quod Pontificem Maximum, minorésque Sacerdotes comprehendebat: est etiam in hoc eodem, in quo Romanum Pontificem, ut eius principem, habemus; presbyteros, ut Sacerdotes, minore dignitate insignes. Atque in eo quidem profectò satis est Pontificem Romanum geminâ potestate, & quæ ordinis dicitur, & quæ iurisdictionis, pollere; cæteros, cùm longè inferiores sint, non utique oportet. Nam, ut alijs præstent presbyteris, nihil aliud requiritur, quàm ius illud; quod ordinem, dignitatémque consequitur. Vnum præterea dicunt, nempe Petrum, à CHRISTO *Domino fuisse Episcopum institutum: uni illi potestatem omnem regendæ Ecclesiæ delatam: quippe cui soli dictum sit, ut pasceret oues suas: A Petro in cæteros Apostolos quicquid est & dignitatis, & potestatis Episcopiæ, tanquàm à fonte, deriuasse. Pro hac sententiâ qui pugnent, Anacletú, Leonem Magnum, Innocentium* III. *Pontifices Romanos, eósque summâ præditos auctoritate; Cyprianum et Augustinú sanctissimos doctissimósque Antistites in aciem proferre nituntur. Recusant illi ueritatis acerrimi defensores ex eâ parte pugnare: cùm id, quod sibi attribuitur, nunquàm sensisse fateantur. Quæ nam sunt, quæ putatis Anacletum ex uestrâ sententiâ dixisse? Hierosolymis primum Archiepiscopum Iacôbum fratrem Domini, qui Iustus uocabatur, à*

Obiicitur. Anacl. Ep. 2.

tribus

tribus Apostolis fuisse institutum. *Id facilè reijceret, qui Archiepiscopos à Petro atque ab Apostolis, non Episcopos initium assereret habuisse.* Refutatur.
At Maximus ille Pontifex de Consecratione Pontificis, cui quidem aliqua Ecclesia gubernanda assignaretur, uerba faciebat; ut doceret, quando primùm ratio consecrandi sit instituta, & in quo primo cœpta sit seruari: nimirùm in Iacobo fratre Domini, cùm ei Hierosolymitanæ Ecclesiæ curatio in diuisione prouinciarum ac regionum, in quas Apostoli iussu Domini Deique nostri ad Euangelium prædicandum ituri essent, obtigisset. Sacerdotum, *ille inquit*, ordo bipartitus est. *Nempe Episcoporum & presbyterorum.* Et sicut Dominus illũ constituit, à nemine debet perturbari. *Declarat deindè, quo pacto bipartitus ille ordo à Domino fuerit constitutus, ut suprà accepistis. Et alio loco, cùm de Apostolorum Pontificiâ potestate loqueretur:* Qui etiam iubente Domino in toto orbe dispersi Euangelium prædicauerunt: ipsis quoque decedentibus, in locum eorum successerunt Episcopi. *Apostolorum, ut Episcoporum, proprium priuatúmque munus erat Euangelium prædicare: qui essent adiumento ad hoc idem exequendum alij discipuli, tanquàm presbyteri, asciti sunt. Neque enim rectè dicerentur Episcopi in locum Apostolorum successisse, nisi in Episcopiâ potestate surrogati fuissent. Quamobrem, cùm Apostoli Episcopi essent à Domino*

mino instituti, ut hominis cooptatione haud quuquàm egerent: tamen, ut in aliquo eorum, quæ in Episcopo consecrando ratio tenenda esset, ostenderetur, Iacôbum, qui Hierosolymitanam Ecclesiam regendam sumpserat, elegerunt; in quo inciperet seruari; et ijs, qui subsecuturi essent consecrationis exemplum daretur. Ac iure optimo id Hierosolymis: cùm undè lex Euangelij ortum habuisset, indè initiũ quoque eorũ, qui Euangelium essent prædicaturi, consecratio duceret. Id planè Anacletum insinuasse, consideratè, ac rectè eius uerba obseruanti perspectum erit. An non erant Episcopi Iacôbus, et Ioannes: qui Petro socij collegæ'que in eo consecrando fuerunt. Nisi est, qui putet secùs, atque Apostoli tradiderunt, in consecrando etiam, qui non sint Episcopi, adhiberi. at nusquàm reperies eos ab homine aliquo in Episcoporum collegium cooptatos. Quocircà, quod ait Chrysostomus, meritò probatur, fratrem Domini, quem Deus Pontificem instituerat, non esse ab Apostolis denuò in Pontificũ ordine ascriptum, sed in Pontificiâ sede Hierosolymitanæ Ecclesiæ summâ cum dignitate, rítúque nouo collocatum, quem Græcè ἐνθρονισμὸν *appellant. Ex quo fit, ut, quod ipse Anacletus non prætermisit, dubitãdũ non sit Iacôbũ fratrẽ Domini, qui Episcopus à* CHRISTO *fuerat institutus, ab Apostolis atque à Petro Archiepiscopũ Hierosolymitanũ, qui eius regionis Episcopis præesset, fuisse cõstitutum. Deus enim unum Archiepiscopum, quippe Petrum, qui uniuersæ Ecclesiæ præsideret, instituit.*

Chrysost.

Is

Is, ut alio loco dicemus, cùm ubique adesse nequiret, consilio cæterorum Apostolorum adhibito, institutum legémque de Patriarchis, & Archiepiscopis, quorum primus extitit frater Domini, constituendis, promulgauit. Proferte et alia in medium, uidelicet eundem Anacletum tradidisse in nouo testamento post CHRISTVM *Dominum à Petro Episcopium ordinem incœptum esse: cùm ille primus in Ecclesiâ* CHRISTI *Pontificatum accepisset. quippe cui dictum esset à Domino peruulgatum illud,* Tu es Petrus. *Itaque illum primum à Domino ligandi, soluendique potestatem habuisse: primum ad fidem populum Euangelio prædicando adduxisse. Deinde Leonem Magnum dixisse, Pontificij muneris mysterium ita Dominum ad omnium Apostolorum officium attinere uoluisse, ut in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo id præcipuè collocaret; ut ab eo quasi quodam capite dona sua uelut in corpus omne diffunderet; ut se extorrem, ac de mysterio diuino eiectum intelligeret, qui auderet à Petri soliditate recedere: cùm ad participandum quod unum est, & quidem indiuiduum, eū adeò uocârit, ut, quod ipse erat, iusserit appellari: quippe saxum illud, quo Ecclesia fundatur. Ac magnam profectò, & incredibilem huic uiro sanctissimo gratiam apud Deum fuisse, et mirificam cum eo diuinæ potestatis consortionem: ut quicquid illi ipsi commune cum cæteris uoluit esse principibus, id sanè nunquam nisi per eundem ipsum dederit.*

Obiiciūtur Anacl. Ep. 2.

Leo. Ep. LXXXVII. ad Ep. Gallos.

Leo. IX. rit: Tum Leonem IX. *Non sine causâ speciatim nominatímque beato Petro Apostolorum principi* Innoc. III. *dictum esse*, Tu es Petrus. *Innocentium praetereà* III. *Ligandi soluendíque potestatem non accepisse Apostolos sine Petro: accepisse autem Petrum sine illis: ut, quod non alij sine ipso, ipse sine alijs ex priuilegio posset obire: cùm sibi uni à Domino tributa esset plenitudo potestatis. Iam uerò Cyprianum,* Cypr de simpl. prael. *Vnum Pontificatum, eúmque indiuiduum esse: cuius quidem à singulis pars integra, solidáque tenetur. Ecclesiam quoque unam, quae incremento foecunditatis latiùs extenditur: quemadmodùm solis multi quidem radij sunt; sed lumen unum: rami arboris permulti; sed robur unum tenaci radice fundatum: & cùm de fonte uno plurimi defluunt riui; multitudo licet diffusa uideatur exundantis copiae largitate; id quod unum est in ipsâ origine seruatur.* Auelle, *inquit*, Radium solis à corpore: diuisionem lucis id, quod unum est, non capit. Abscinde ramum ab arbore: germinare abscissus non potest. *Hunc eundem auctorem scripsisse, Super unũ à Domino Ecclesiam aedificari: &, postquàm resurrexit, licet Apostolis omnibus eandem dederit potestatem: tamen, ut quod unum est declararet, eiusdem unius originem ab uno incipientem suâ auctoritate constituisse. Postremò* August. *Augustinum, Nemini dubium esse, quin sedis Apostolicae principatus ante quodcunque Episcopium munus sit ponendum; atque in hoc ipso munere Pontificem*

tificem Romanum antecellere, summóque in fastigio speculæ pastoralis eminere. Addit & illud Cyrilli, Nulli profectò alij, quàm Petro, quod suum est, CHRISTVM plenè commisisse: id omne ei soli dedisse. Annon meritò ij, recusant pro uestrâ sententiâ certare? Quid nam ex eorum iudicio profertis, quo non omnem Episcopis Ecclesiæ regendæ potestatem à Domino Deóque nostro delatam esse concludatis? Num quis eorum asserit, quod quisquam nostrûm inficietur? Nos cum Anacleto profitemur Pontificem Romanum esse Principem Episcoporum, primarium summúmque in Ecclesia Pontificatum obtinere: cùm Petro succedat, qui princeps fuit Apostolorum, primus in Ecclesiâ Pontificatum accepit, primus ligandi soluendíque potestatem habuit, primus denique, qui nondum credebant, ad credendū Euangelio peruulgando adduxit; cum Leone, cum cæteris omnibus hunc ipsum unum uniuersæ Ecclesiæ caput esse; in hoc uno Pontificium munus ita præcipuè collocari, ita ab eo in reliquum omne corpus uim diuinam diffundi, ut qui ab eo recedat, id omne, quod erat cōsecutus, amittat. Quemadmodùm palmites tantisper pubescunt, dum in uite manēt; rami uirescunt, dū in arbore; mēbra uigent, suúmque munus obire possunt, dum in corpore: diuellas palmites, excindas ramos, continuò arescant; abscindas membra, statim emoriantur, oporteat: ita Antistites tantisper uim habēt officij fungendi, dum in Ecclesiâ permanent: discedant ab eâ, ius omne

Cyrillus.

Refutatur.

Vide Ep. LXXXVII. Leonis ad Episc. Gallos.

abijciant. Hoc fuit sanctissimorum Pontificum propositum: ad hoc uires dicendi conferebant; ut ostenderent, Ecclesiæ membrum esse nequire, qui caput relinquat, & quod unum est in eâ; à capite proficisci. In eos inuehuntur, qui à Romanâ Ecclesiâ desciscunt: cùm eius auctoritatem contemnere uideantur. Quid est, quod Cyprianus, & Augustinus insinuare uoluerunt: cùm in Ecclesiâ, quod unum est, in Petro significari tradiderunt? cùm ei soli dixit Dominus, ut pasceret oues suas, ut acciperet claues Regni cœlestis: Ecclesiæ dixisse, propterea quòd in hoc uno Ecclesiam, quæ una est, præmonstraret? Hanc esse Sacerdotum matrem, hanc cælestium donorum fontem, hanc lucis diuinæ solem? cùm Petrus ipsam uniuersam Ecclesiam repræsentet, in eum quoque hæc omnia conuenire. quidnam aliud, inquam, planè insinuare uoluerunt? nempe tantisper Sacerdotes in sancto cœtu mansuros esse, dum coniuncti cum eius capite fuerint: multùm abest, ut à Deo munera eis deferri negauerint. Quid est, quo corpus humanum uiuit? nimirùm Anima. Quid est, quod uires & uniuersè illi, & singulis partibus tribuit? Anima. Quid est, quod & in hoc ipso toto, & in quaque eius particulâ residet? Anima. Sed, quamuis ita in corpore, & uniuersè & sigillatim resideat; in capite tamen, tanquàm in arce, dicitur domicilium tenere: ut ab eo uires diffundi in reliquum corpus omne uideantur. Haud secùs, quo Ecclesia uiuit, CHRISTI spiritus est, qui uim illi eundem

in

in modum præbet; qui item in eâ permanet; qui in Apostolico solio, tanquàm in capite, præcipuè sedet; diuinas indè uirtutes mittere in reliqua membra dicitur: quemadmodùm in arbore uis naturæ ab radice ramis id omne, quo illi uigent, & frondescunt, subministrat; de fonte uis aquæ emergentis fluuios deriuat; lux de globo solis radios effundit, ex quo fit; ut quem in modum capite abscisso, reliquum omne corpus intereat, oportet radice excisâ arbor tota in nihilum occidat; fonte exsiccato, aqua omnis exarescat; solis globo obscurato lumen omne euanescat: ita, si sedes Apostolica (quod omen Deus auertat) caderet, totum Ecclesiæ ædificium corrueret. non contrà, Ecclesiæ uniuersæ iactura fieret, siqua pars periret: ut neque corporis, siquod membrum amputaretur; neq; arboris, si ramus aliquis excinderetur; nec aquæ totius, si riuulus aliquis aresceret; nec solis, siquis radius deficeret. Quamobrem hæ comparationes non sanè id sibi nolunt, ut Antistites à Deo potestatem regendæ Ecclesiæ non accipiant, sed, ut nunquàm habituri sint, si à capite deficiant, si Apostolicæ sedis auctoritas desit. Qui comparationem Ecclesiæ cum humano corpore obseruauerit; planissimè perspectum habuerit, ita suum cuique membro officium tribui, ut à capite non defluat: sed capiti proprium esse muneris uniuersi corporis regendi: corpus tum bene habere, cùm suo quæque pars fungitur officio; quod alterius est, sibi non asciscit. Ac, ne quis hæc me fingere arbitretur, Rom. 1. cor.

tretur,

Leo Magnus. Ep. LXXXII. tretur, memoriâ, quæso, repetat, quæ dedit Leo Magnus Anastasio Thessalonitensi Episcopo præcepta; quæ scripsit Nonus, qui nos unum corpus ait,

LeoNonus unúmque spiritum esse, ut in spem unam uocati sumus: ad ostendendum in uno corpore multa esse membra (quod Paulus multò antè docuerat) ac singula suum ita officium obtinere, ut, si inter se, alterum alterius sibi munus assumere nitantur, corporis compositio perturbetur. uidelicet iure optimo Pontifices

Leo ad Anast. Thes. Ep. & contra Hilariũ Romani reprehendebant tum qui, quod est sedis Apostolicæ, sibi arrogabant, tum etiam, qui ab eâ deficiebant, & quod in Ecclesia uiuna, unáque con-

Obiicitur. sensione constringitur, rescindere conabantur. At instant adhuc opponere Christianissimos Duces, nempe Nicolaum, & Dionysium Pontifices Maximos: cùm illo teste asserant omneis diœceses à sede Apostolicâ fuisse constitutas: ab hoc parochias omneis

Refutatur. distributas, certísque finibus descriptas. Sed quanquàm, si planè id eis assentiamur, non utique sequatur, ut Episcopi à Deo minùs instituti sint: non tamen putamus id esse concedendum, quod satis mirari non possumus doctissimi iuris interpretes affirma-

Dionysius Papa. re ueritos non esse. Nam Dionysius non Pontificum diœceses, sed Sacerdotum parochias; non in toto orbe terrarum, sed in Romanâ Ecclesiâ se statuisse profitetur. Consulenti Seuero Episcopo Cordubensi respondet, sequendum esse, quod ipse tum egerat in Ecclesiâ Romanâ: hanc normam ei, cæterísque omnibus Episcopis tenendam. Hortatur, ut, quod sibi

ſcribitur, ad quotcunque poterit, deferat: ut hoc ipſum generatim, non ſanè ſpeciatim nominatímque præceptum ſit. Nicolaus id innuit, quod nos etiam contendimus, ſedis Apoſtolicæ auctoritate Pontificias omnes præfecturas eſſe inſtitutas: cùm Petrus, cæterique Apoſtoli, ut docuit Anacletus, Domino iubente, inter ſe prouincias, regionésque diſtribuiſſent, ut cuique aſſignaretur, quam quiſque regendam ſuſciperet; quæ Euangelium accepiſſent, CHRISTI'que nomine cenſerentur, in Pontificias diœceſes deſcripſiſſent, nomina Antiſtitum diſtinxiſſent; quæ quiſque in ciuitate præficiendus eſſet, quæ conſecratione addicendus, conſtituiſſent. Hanc regulam Apoſtolicâ auctoritate inſtitutam cùm omnis Eccleſia recepiſſet, atque ſeruaret: rectè dixit Maximus ille Pontifex eruditiſſimus, obſeruantiſſimúsque Romanæ maieſtatis, à ſede Apoſtolicâ diœceſes omneis fuiſſe conſtitutas. quippe qui planè ſciret à Petro inſtitutionem illam præcipuè, tanquàm à capite, manaſſe. Vnus enim ordo Epiſcoporum à CHRISTO Domino inſtitutus eſt: unus omnibus Princeps datus; qui eorum controuerſias dirimeret, cauſas iudicaret, omnibus de rebus, rationibúſque decideret, quem Sacerdotes appellarent, cuius fidem implorarent, qui denique proſpiceret, ut uniuerſa Eccleſia, & ſingulæ diœceſes rectè adminiſtrarentur; nimirùm Petrus, & quiſquis eſſet ei ſucceſſurus. Is, cùm ita ſe hominem eſſe agnouiſſet, ut animaduerteret nec ſe poſſe ubique intereſſe, nec

Nicolaus Papa.

qui Romà longissimè abessent, ut eò uocarentur, compelli oporteret; consilio cæterorum Apostolorum adhibito, præfecturas maiores descripsit, instituitque præfectos, qui ita præsiderent, ut in ijs uim suam obtinerent. nempe tum quos Archiepiscopos uocant, ut Sacerdotes, ad quos ab Episcopis appellarent, haberent: tum quos Patriarchas, ut ne Episcopis, ad quos ab Archiepiscopis malè accepti confugerent, deessent. Nec dubitandum est, quin sedes Apostolica maiores omnes præfecturas constituerit, eâque una illas constituendi ita ius retinuerit, ut nunquàm alteri id impertierit. Ac de ijs puto Nicolaum uerba fecisse: cùm Ecclesia Constantinopolitana, quod erat Romanæ, sibi asciscere non uereretur. Pontificias autem sedes mihi compertum non est omneis à Pontifice Maximo positas fuisse. quinimmò, ut diximus, Clemens à Petro, qui sibi succederet, electus, cùm ad Iacobum fratrem Domini scriberet, admonuit, qui in Oriente præsidebant, ut Episcopos cooptarent; & suam cuique ciuitatem, ad quam nondum quisquam à Petro missus fuerat, assignarēt: quemadmodùm ipse creârat, atque creaturus esset, quos in Italiam, in Gallias, in Hispanias, in Germaniam, in alias regiones ad regendam Ecclesiam mitteret. Ex quo fit, ut dubitare nequeamus Ecclesiam Romanam Episcopij solij collocandi potestatem non adeò sibi reseruasse, ut Patriarchis neque Episcopos cooptare, neque diœceses instituere, neque institutas distribuere liceret: immò uerò id tan-

diu

diu licuisse, quandiu neque à capite disiuncti sunt, neque ab Ecclesiæ corpore abscissi. Illud porrò existimo, quærendum esse; quod ego quidem nondum compertum habeo, an Pontifex Maximus ad Episcopos unquàm scripserit; quos esse, ut Episcopos, dixerit, in laboris partem, non in plenitudinem potestatis accitos. Patriarchas ille, & Archiepiscopos admonere consueuit, ne sibi plùs, quàm oporteret, arrogarent. Cùm usque adeò muneris sui participes eos effecisset, dum ad sedem Apostolicam, in qua unâ totius Ecclesiæ regendæ summa plenáque potestas à CHRISTO *Domino sit collocata, confugere cuique fas esset. Eius ut uniuersæ Ecclesiæ rectoris est prouidere, ut alio loco diximus, necubi Domini ouibus desit, qui eas bene pascat; ad se confugientes excipere; se appellantes audire; prospicere, nequid detrimenti accipiant; optimis consultis uniuersæ Ecclesiæ consulere; non cuiusque loci præfecturam speciatim administrare: uni Ecclesiæ Romanæ speciatim præficitur. huius propriè priuatimque curationem, ut Romanus Episcopus, sumit: uniuersè ac generatim totius Christiani cœtus. Quamobrem Pontifex Romanus nunquàm siuit se uniuersalem Episcopum appellari, non sanè quòd uniuersæ præsidem Ecclesiæ se uel à* CHRISTO *institutum ignoraret, uel haberi nollet; sed ne omnium Ecclesiarum, in quas cœtus omnis Christianus diuisus esset, unus esse Episcopus uideretur; ac, ne quod cuique Domini iussu deferendum est, id omne sibi assumere putaretur*

V. Leo. Ep. LXXXII.

Leo Non.

retur. Neque inficiamur Episcopos in partem laboris uocari, non eius quidem, qui in Pontificem Maximum conuenit, ut uniuersæ Ecclesiæ administratorem (huius, ut diximus, Patriarchæ, atque Archiepiscopi participes fiunt) sed certè illius, qui Episcopis omnibus impertitur: cùm sua cuique præfectura tribuitur, in qua dumtaxat Episcopia omnia, quæ Deus constituit, munia rectè exequatur. Munus ipsum Episcopium integrum, totúmque ex diuinâ institutione partitè ac distinctè in suâ cuique diœcesi præbetur: sed pars laboris dicetur, non modò si singulæ diœceses cum uniuersæ Ecclesiæ administratione conferentur: uerùm etiam si attendemus, totius Ecclesiæ suam cuique partem assignari. Nec uerò arbitror in ueterum monimentis, quem iam pridem Episcopos eligendi, confirmandíque morem seruat Ecclesia Romana, reperiri: cùm per multos annos id in usu fuisset, qui in partem hæreditatis à Domino uocati essent, populi suffragijs adscitis, Antistitem eligerent, electum Metropolitano Episcopo consecrandum repræsentarent. Iam nó modò Leonis, & Gregorij, ac Nicolai; sed & Innocentij III temporibus confirmandi Episcopi potestatem Metropolitano fuisse, perspectum erit legenti, quæ ille scripsit ad acta Archiepiscopi Duronensis rescindenda; qui Episcopum electum à collegio Sacerdotum, à se confirmatum, ab Ecclesiâ Abricensi in Andegauensem præter morem, prætérque sedis Apostolicæ auctoritatem transtulisset. Nec inficior electionem illam

illam Antistitum olim seruatam esse, & concessu Domini Deique nostri, ut tradidit Anacletus, & sedis Apostolicæ permissu. At planè affirmo, qui eo ritu illâ ætate cooptabantur, ueros Pontifices extitisse: qui nunc præter morem ab Ecclesiâ Romanâ & institutum, & seruatum, aut sine eius auctoritate designarentur; uanos esse, falsòque Episcopos appellari. Nec dubito Ecclesiam, ipsúmque Pontificem Maximum moris uariandi, mutandique uim habere. Cùm autem moris mutatio rem ipsam neutiquàm mutet, consuetudo in Episcopo creando mutata id causæ non erit, quò minùs à Deo, ut memoriâ maiorum nostrorum, ita nunc & instituatur, & Episcopias potestates accipiat; quemadmodùm in Epulo CHRISTI *Domini, ritus non semel mutatus rem ipsam nunquàm mutauit, ne totoruescerentur* CHRISTO, *qui ad sacrum illud conuiuium accederent. Quamobrem, quod obijcitur, facilè in fugam uerti potest. Nemo non asserit, quanquàm Pontifex Romanus Episcopus est Ecclesiæ totius, atque uniuersò præsidet orbi Christianorum; tamen, ut ille speciatim in propriâ quidem Romanâ diœcesi: ita in suâ singulos Episcopos utrâque fungi potestate diuinitùs delatâ: quippe cùm omnes Ecclesiasticæ præfecturæ ita* CHRISTI *Domini iussu constitutæ sint, ut in quaque sint Sacerdotes, & qui in sortem diuinæ hæreditatis uocantur, & qui ijs omnibus præficitur ad Ecclesiam in eâ parte regendam, atque ad ius dicendum, ne dum administros in illa pro*

pagan-

pagandos. Nec uerò inficiari quisquam potest, à CHRISTO *Apostolos fuisse institutos, qui Ecclesiæ præessent; alios discipulos, qui illis essent adiumento, & parerent: atque ita Ecclesiam fundatam, ut in ea, quos ille ordines, quas potestates constituisset, nunquàm non seruarentur. Quapropter nulla est diœcesis, in qua ijdem illi ordines, eædem illæ potestates retinendæ non sint. nimirùm ut quæque habeat, qui præsideat; habeat & qui pareant, ad domum* CHRISTI *ædificandam. Adulterum cornu ita se opponunt, ut Episcopos in Apostolorum locum suffectos illos quidem esse fateantur: sed non sanè in omni munere substitutos: cùm illi uim efficiendi, quæ in miraculis percensentur, haberent, malos Dæmonas eijciendi, morbos sanandi, quæ de ipso Deo, atque de* CHRISTO *tenenda essent, decernendi: in toto denique orbe terrarum Ecclesiæ regendæ: quam Episcopis datam esse, nemo cui mens quidem sana sit, affirmare potest. An non leuiora, hebetioráque hæc tela sunt, quàm quibus plagam infligi posse metuamus? Nam metuenda essent; si cui potestati Apostolicæ, quæ Episcopia non esset, Episcopi successisse dicerentur. Cùm autem non idem sit Regnum Dei gubernare, quod parare ac stabilire: Apostolis, ut illud compararent, et communirent, Diuina munera, quæ nobis obiectantur, impertita sunt: ut gubernarent, quæ Pontificia uocantur. Atque in his Episcopos surrogatos esse, quæ ad gubernandam Ecclesiam spectarent, profitemur: non sanè*

Obiicitur.

Refutatur.

in

in cœtu Christianorum uniuerso; quod uni Petro, ut summo CHRISTI *Vicario nominatim, cæteris Apostolis generatim, prærogatiua quadam datum esse accepimus; sed quenque in certâ ac definitâ præfecturâ, quæ sibi fuerit delata. Nec uerò, qui Petrum subsequuntur, Presides Romani in aliâ potestate præterquàm in sede Apostolicâ tenendâ, atque in Ecclesiâ uniuersâ gubernandâ; & in rerum earum, quæ Christianam fidem attingunt, declaratione surrogantur. At instare pergunt propterea, quòd, si tantundem Episcopi potestatis in regendâ diœcesi, atque Apostoli, nacti sunt; id nec illis adimere unquàm Pontifex Romanus, nec minuere potuisset. Quid tum? An non uel Apostolis uim illam amplissimam gubernandi, siquando abuti eâ cœpissent, detrahere quiuisset? Nec uerò, qui in Petri locum successerunt, eam antè represserunt, quàm Episcopi præuaricandi, suóque munere ad quæstum atque ad libidinem abutendi initium fecissent. eâ enim lege potestas Pontifici Maximo data est pecoris pascendi, ut ipse totum Dei Regnum administraret: in partem autem administrationis, cùm amplissimum regnum futurum esset; alios, qui ut Pontifices,* CHRISTI'*que Vicarij regerent, quemadmodùm dictum est, uocaret; iúsque illorum, siquando eos regendi potestate non rectè uti animaduerteret, cohiberet: errantes autem castigaret; atque in eos censoriam animaduersionem adhiberet. Nam, ubi sine ratione id unquàm esset molitus, non est du-*

Obiicitur.

Refutatur.

bium, quin seuerum Dei iudicium eâ de re illi subeundum fuisset: cùm omnis eius administratio ex hac pendeat lege: quasi maxima eius potestas libera, solutáque esset; ut Reges suis præfectis liberè, ut libet, ac sine ullâ iuris offensione uim administrandi uel amplificant, uel restringunt; ut ille idem ijs, quos ipse legat: ita Episcopis, quam Deus constituit, facultatem gubernandi non iustam ob causam reprimeret; non utique peccaret. Obiicitur. *Ad robur militum, quod in medio positum est, repellendum uires omnes obijciunt. Principiò sumũt, quod ex Deo nõ proficiscitur ἀμέσως, id omne iure diuino haud quaquàm teneri: non planè omnia, quæ sacræ monumentis scripturæ tradita sunt, ad hoc ius referri oportere: non quæ in documentis, haud quaquàm in præceptis recensentur: cuiusmodi esse dicunt,* Vade, uende omnia, & da pauperibus, & sequere me. *Non quæ ipsi suo iudicio Apostoli probant: ut,* De uirginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do: *non quæ de iudicijs, non quæ de ceremonijs constituit Moses, non quam tulit legem: non ea denique, de quibus Prophetæ commonefaciunt; ut,* Agnosce uultum pecoris tui, *& quibus in malos pastores Ezechieles inuehitur. Deindè assumunt potestatem Ecclesiæ gubernandæ non ἀμέσως Episcopis à Deo cõmitti; cùm Pontifex Maximus hunc, illum Episcopum instituat; huic, illi; hanc, illam tribuat præfecturam; hoc, illo loco; hoc, illo tempore deferat pascendi, custodiendique*

diendique Chriſtiani gregis facultatem. Poſtremò concludunt, Eccleſiaſtico iure, non diuino Eccleſiæ gubernandæ, quam habent Epiſcopi, poteſtatem teneri. Nam, quam ordinis poteſtatem appellant, concedunt, Epiſcopis dari à CHRISTO, *& ad ius diuinum attinere. An putatis hæc eſſe arma, ut Poetæ comminiſcuntur, Vulcania; quorum uis nequeat perfringi? Quidnam omnino eſt ipſum ἀμέσως ex Ariſtotele arreptum? Nónne id ualet, tum quod Latinè Proximè, cui contrarium eſt ipſum Remotè: tum quod Primùm atque Præcipuè; cui, quod eſt Secundo loco, opponitur? Vtram in ſignificationem id accipiant, uerum eſt, quod ſumunt: quod aſſumunt falſum omnino. Num poteſtatis Eccleſiaſticæ gubernandæ Deus uel remota, uel non præcipua cauſa eſt? Quiſnam præter illum ipſum tá diuinæ ac tam præclaræ facultatis auctor eſſe poteſt? Quicquid enim eſt ſupra hominum naturam, ſupráque omnem uim cæleſtem, id ab uno poteſt fonte Deo manare. quippe qui unus dona hominibus, ut à Paulo didicimus, dederit; quorum alij eſſent Apoſtoli, alij Prophetæ, partim Euangelij Præcones, partim Paſtores et Doctores. Num ut Paſtores, ac Doctores dicerentur: non ut paſtorali munere, docendíque officio fungerentur? Quid tandem eſt paſtoralis curatio? nónne Eccleſiæ gubernatio? Quid docendi officium? an non rectè & Chriſtianè uiuendi rationem oſtendere ad gloriam ſempiternam? Hæc monſtrat, illa perficit: hæc dat præcepta, illa iubet ſeruari: hæc legé*

Refutatur.

declarat: illa lege agit ad regendum. Num quis Ecclesiam regere potest, qui uim iuris dicendi non sit consecutus? Quapropter ita apta, nexáque est cum Episcopi dignitate potestas gubernandi, ut, quáuis ei facultas iuris dicendi à Pótifice Romano deferatur; non sit, quò minùs diuinâ lege muniatur. Cùm enim uel, qui contradicunt, asserant à CHRISTO *Episcopos esse institutos, ut quas custodiendas oues susceperint, pascant: quem populum erudiendũ sumpserint, doceant: quæ sibi Ecclesia delata fuerit, regát: intelligere non possum eos hanc potestatem à Deo cũ dignitate non proximè præcipuéque habuisse, eò quòd præfectura, in qua munere suo fungi possit, à Pontifice Maximo, uti summo, & CHRISTI Vicario, & administratore, accipiant. Nunquàm enim Pontifex Romanus id sibi assumpsit, ut Deum non auctorem, se non administrum, & in Ecclesiâ gubernandâ, & in quacunque Episcopiâ dignitate deferendâ appellauerit. Nunquod dignitatis multum habens munus unquàm fuit sine præsidendi, regendíque potestate? An non definitur dignitas, ut sit honesta auctoritas, quam & cultu & honore, & uerecundiâ dignam existimemus? Dignitas potestatis expers, quam maiestatem, quam amplitudinem habuerit? Iam Leoni illi Magno dignitas idem est, atque potestas. Audite, quæ beatissimus Pontifex dixit, cùm de corporis mystici compositione atque cósensione loqueretur:* Hæc connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit; sed

Leo Magnus. Ep. LXXXII.

præci-

præcipuè exigit concordiā Sacerdotum; quibus & si dignitas non sit communis: est tamen ordo generalis. Quoniam inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; &, cùm omnium par esset electio; uni tamen datum est, ut cæteris pæemineret. *Vnus enim, idémque Episcoporum ordo cùm sit, una eadémque potestas, quam ordinis uocant; de regendi potestate, qua inter se ij discernuntur, Maximus ille Antistes uerba faciebat. Hanc dignitatem non omnibus communem, sed qua alij plùs, alij minùs ualeant, appellabat: quam alio loco diuinitùs datam esse fatetur; neque ab Apostolicâ sede Ecclesiis, Ecclesiarúmque Sacerdotibus derogari. Quid? cùm reprehenderet Hilarium Episcopum, qui ius Metropolitanorum sibi uendicaret; nónne ius illud dignitatem nuncupauit?* Ep. LXXXVII. *At nobis, inquiunt, ipsum ἀμέσως id significat, quod per se primò, ac sine ullâ causâ administrâ.* Obiicitur. *Si uerbum hoc ita accipiendum est, inficiamur, quod sumunt.* Refutatur. *quandoquidem, etiam si à Deo non proximè hæc potestas, de qua certamus, haberetur; propterea quòd à Pontifice Romano, ut Reip. totius Christianæ administratore, tribuatur; non sequeretur, ut non sit diuino iure uallata. Nam, si eam ob causam id sequeretur; cùm Deus in Ecclesiâ nihil agat sine causâ administrante, consequens sanè esset, ut quod ius diuinum attingeret, comperiretur in eâ profectò nihil. An non sacerdotis administratione,*

 tione,

tione, ut alio loco abundè ostendimus, se ipsum Deo Patri CHRISTVS *offert? suis ad uescendum præbet? qui ad credendum accedunt, sanctè abluit? qui peccata confitentur, absoluit? Episcopi manu atque precatione diuina dona impertit? ablutos consignat? quæ religiosa fiunt, qui se Deo ad famulandum addicunt, consecrat? administros sacris initiat? Nec ad absoluendum Sacerdotis operâ uteretur, nisi ille uel à suo Pontifice, uel à Romano, cuius in cœtu Christiano & summa & princeps auctoritas est, facultatem suæ potestatis fungendæ accepisset. Neq; satis id mirari possum, quo suâ isti opinationé comprobare nitûtur; cùm, quá Israelitanis legé Moses dedit, ex iure diuino eximunt, eò quòd Dei nomine cœlestis eam nuncius, non ipse Deus, disertis uerbis tulisset; dux ille Israelitanus, non ipse Deus dedisset. Nunquid in ueteri testamento, quod in ius diuinum sit conijciendum, reperies; si nihil ad id attineat, quod Deus per alios sit effatus? Quis unquàm Deum uidit? quis unquàm audiuit loquentem? De cœlo ille nuncium mittebat; qui, quæ ipse iuberet, exponeret: spiritu suo uates excitabat, atque ad effandum permouebat. In nouo quid eiusmodi haberemus? Vix admittendum esset, quod Dominus noster* IESVS CHRISTVS *edocuit. quippe ipse nihil monumentis literarum mandauit; discipuli, quæ ad nos omnia peruenerunt, tum tradiderunt memoriter, tum in scriptis reliquerunt. Quæ Petrus, quæ Paulus, quæ Ioannes, quæ cæteri*

Apo-

Apostoli perscripserunt, nihil quod ad diuinam legem spectaret, continerent. quippe quæ illi, non Deus ore suo, quamuis Dei spiritu incitati, literis prodiderint. Quæ de fide sacrosancta concilia statuerunt, ab hoc ipso iure abhorrerent. At non, quia sator hominum, repertor, & genitor dicitur Deus, homines ipse gignit. est enim prima causa ille quidem; sed uniuersalis, cuius nutu, & ope omnia generantur. Nam sol & homo, quod Philosophi docent, generant hominem: quia uero ille quidem generalis auctor est generationis uniuersæ, hic proprius humanæ; hic, non ille propriè hominem dicitur procreare. Agnosco, Patres amplissimi, cauillationes; agnosco fallacias, quibus, qui id argumentantur, uos capere nituntur. Sed in re tam seriâ non esset profectò cauillandum. Neque enim persuasum habeo eos latêre, non eâdem ratione earum rerum, quas ipse creat, atque illarum, quæ ab alijs causis ortum habent, Deum effectorem esse. Nam principiò, cùm hominem totum sine ullâ materiâ, ac sine ullâ causâ adiuuante procreasset; uim naturæ dedit, quæ sub sensum cadunt, generandi: animi uerò creandi potestatẽ ita sibi reseruauit; ut nunquàm eum sit creaturus, nisi illa materiam ad capiendum præparauerit. itaque illa corpus animo, quem Deus per se creat, circundat, quo is probè uti possit. Ex quo fit, ut exterioris pater hominis homo sit, auctore quidem sanè Deo, ut generali causâ: interioris autem ipse Deus omnino, ut proprius præcipuúsque

Obiicitur.

Refutatur.

creator; at non sine operâ naturæ, quæ illi ad uestiendum animum corpusculum parat. cùm autem animum creat, ui diuinâ exornat intelligendi; quæ eius naturam, ac dignitatem ijs nodis apta, nexáque consequitur; ut nunquàm eâ carere possit ille quidem, sed non sanè uti, dum est in corpore inclusus, sine earum partium adminiculis, quæ sibi à naturâ extrinsecùs ad utendum affinguntur. Quamobrem, etsi in rerum generatione generalis auctor Deus est, quo uolente, atque opitulante, & uim præbente omnia planè oriuntur: in creando tamen, quod aliundè originem ducere non potest, ipse proxima principalísque causa est. Quid in Christiano gignendo, cùm homo ex aquâ, & Spiritu sancto generatur iterúmque dicitur nasci? nónne homo ad lauationem materiam comparat, mysterij formulam in abluendo adhibet à CHRISTO *institutam; eâ prolatâ, Deus uim præbet, qua interiùs homo innouatur? Ita Pontifex Romanus Episcopum eligit, electúmue confirmat, consecrat, consecrandúmue curat ad partem aliquam Ecclesiæ regendam. Deus illi, cùm initiatur, Pontificiam & dignitatem, & potestatem regendi interiùs tribuit; qua iure diuino, ut Pontifex & præsideat, & gubernet. Quam Deus uim ei præbet, Pontifex Maximus, ut* CHRISTI *Vicarius, ad præfecturam aliquam Ecclesiasticam applicat. quasi materiam, ut adminiculum animo natura, ita illi eam ad munus Episcopium fungendum impertit; adítque ius Ecclesiasticum, quo ad uim*

suam

suam utendam ille iure suo diuino uti possit. Quocircà desinant tandem adeò parui Episcopos facere, ut Deum non aliter eorum, atque cæterarum omnium rerum esse effectorem asserere minimè uereantur; ac tantundem in hos ipsos curæ, cogitationisque diuinæ, quantùm in coruos, atque in pecudes deriuare. Quippe dat iumentis escam, ut ait Vates, & pullis coruorum se inuocantibus. quasi, qui Deo consecrantur, Antistites nihilo pluris ab eo, quàm cæteræ animantes ducantur; nihil diuinitùs accipiant, quod sibi cum ijs non sit commune. Nec uerò urget, quod deindè sumunt, non omnia, quæ sacris literis prodita sunt, ad ius diuinum attinere. nam satis est nobis hoc ipsum, quod agimus, ut alia permulta, ad illud ipsum spectare. Quæ uerò ad confirmandum, quod sumpserunt, inducunt; cùm iam alio loco sint à nobis confutata, acta non sunt agenda. Nam, quod huic, illi; hanc, illam Ecclesiæ partem regendam deferat: id certè Dei mandato exequitur. At, si Ecclesiæ gubernatio non esset à Deo constituta, nec ex diuinâ institutione huic, illi Episcopo à Pontifice Romano committeretur; concederem ad ius diuinum eam non esse referẽdam. Atqui Episcopo electo, non dum consecrato iurisdictionem ille defert: ut confitendum sit non ui consecrationis eam deferri. Quid tum? an non illa, ut Episcopo, ei defertur? Nam esto, interdum munus regendi delegetur: cùm ex potestate illâ amplissimâ Maximus Antistes id possit, cui uelit, delegare; non sanè quidem ut Pontificium tribuatur.

Obiicitur. Refutatur. Obiicitur. Refutatur.

tribuatur. Neque enim, cui libuerit, nisi Episcopo, id ille detulerit Dei mandato; qui præcipit, ut Episcopos in Ecclesiâ ad gubernandum constitueret. At

Obiicitur. *Innocentius* III *Episcopo ritè electo, & comprobato, ait Episcopiam illam dignitatem, quam consecrando assequitur, nihil addere ad officium Ecclesiæ regendæ obeundum: cùm pontificiâ præditus interdum sit dignitate, qui nulli Ecclesiæ præsideat; ut, qui cùm præfecturam abdicat, onere deposito, honorem custodit.*

Refutatur. *An non sanctissimus, doctissimúsque ille Pontifex Maximus Episcopo electo ui coniugij, quo Ecclesiam, qui eligit, ei coniungit, ut primùm id fuerit confirmatum, asserit Ecclesiæ administrationem delatum iri? & meritò, cùm Spiritus sanctus connubium illud Episcopi, & Ecclesiæ coniugauerit. Quemadmodùm enim, cùm primùm maris cum fœminâ coniugium initum fuerit, uiro in uxorem parta erit potestas: ita, ut primùm Episcopus Ecclesiæ diuini spiritus uinculo coniûctus fuerit, ius in eam, imperiúmque adipiscatur, oportuerit. Quapropter Episcopo, ut primùm eius, & Ecclesiæ connubium fuerit coniugatum, diuino iure uim tribui gubernandi asseratis, necesse est.*

Obiicitur. *At, inquiunt, id asserendum esse inficiamur, eligentis, & eius, qui eligitur consensu, quam regendi potestatem diuinitùs dari contenditis, deferri.*

Refutatur. *Atqui id facilè concesserint, si animaduerterît, quæ eodê loco ille idê sûmus Pôtifex de coniugio attîgit. Cùm enim corporeû maris, et fœminæ connubium, quod animorum consensio*

ne

ne coniugatur, cū eo, quod spiritus est in Episcopo cū Ecclesiâ coniungendo, cópararet: eo uinculo utrunque dixit à Deo coniungi; quod sanè in neutro nisi ille idē soluere quisquā possit. quippe cùm adeò cōsensus hominū ad cœlestia dona capienda requiratur, ut, si uirgo Dei mater à salutari illo nūcio assensū cohibuisset, neq; coniugiū naturæ diuinæ cū humanâ consecutū esset, neque salutis nostræ primordium, uirginalis & conceptus, & satus ille, quem nemo satis potest admirari. Nec uerò, nisi assentiretur, qui religiosè, abluitur, ex aquâ, & spiritu unquàm renasceretur. Idque non sanè, quòd suapte ui assensus hoc ipsum moliatur: sed quòd superueniat spiritus, & uigor ille sanctus; Deique uis ingens, & mirifica obumbret. Qui spiritus, quæ uis diuina (sic Deo placitum est) nisi assensus hominis accesserit, aderit profectò nunquàm. Quapropter ex diuino instituto, ùt, quamuis homines connubia coniungant, uinculo tamen cœlesti connectuntur: quamuis homo abluat, homo ablui se assentiatur; spiritus tamē sancti aduentu lauatio sanctè perficitur: ita, quamuis homo Episcopum nominet, eligat, comprobet; homo se nominari, eligi, comprobari uelit; Deus tamen illum ui suâ mirum in modum Ecclesiæ coniungit: & uerò haud secùs atque consecrat; quanquàm in eo consecrando administer adhibeatur.
Quid igitur Episcopo proficit consecratio, si potest nondum consecratus Ecclesiam administrare? At, nisi intra tempus ab Ecclesiâ præstitutum consecre- Obiicitur.

tur;

tur; ius, quod electus comprobatus'que fuerat asse-
Refutatur. *cutus, amittat. Electio & comprobatio connubium illud connectit: consecratio consumat, ut pontificia munera Episcopus ritè possit obire. sicut, quem peccasse uehementer pœnituerit, id planè consequetur; ut, quicquid erratum est, sibi remittatur: modò & statuat se ad diem indictam esse iudicium Sacerdotis de peccatis subiturum; & subeat, ubi dies constituta adfuerit. Item, qui eligitur, & approbatur, non est dubium, quin diuino uinculo Ecclesiæ coniugetur: dummodo ad præscriptum tempus constituat se consecratum iri: ac, ni consecretur, intelligat electionem, approbationémque illam nihil sibi posthac iure ipso ad connubium fruẽdum ualere. Nam, tametsi dominus consecrãdi tempus non præstituit, ut ne confitendi quidem peccata: consecrandum tamen Episcopum esse, ut peccata confitenda omnino iussit. cùm autem id Ecclesia præfinierit, ut Dei præceptum seruetur; si nec proponat, qui Episcopus designatur, hoc sibi esse custodiendum; nec ad diem constitutam obeat: non est profectò, ut sibi Ecclesiam coniugio copulatam arbitretur. Quamobrem, ut primùm Episcopus ad aliquam præfecturam sumendam designatus fuerit, Pontificiam potestatem gubernandi à Deo susceperit. Ac fatendum est, id omne extra ius diuinum haud quaquàm poni oportere; nec uim ullam omnino argumentationem eo-*
Obiicitur. *rum, qui contradicunt, habere. At plerique omnes scholastici doctores, in quîs recensentur Diuus Thomas,*

mas, & beatus Bonauentura; qui, ut in numero eorum, quos iam pridem Sanctos appellamus, ab Eccleſiâ ponuntur, & doctiſſimi ſcriptores habentur; ita cum priſcis illis, quorum, & auctoritas permagna eſt, & fama admodum illuſtris, tum doctrinâ, tum ſanctitate conferri poſſunt: ſcholaſtici doctores, inquã, ferè omnes à Pontifice Romano tanquàm à fonte omnem Eccleſiaſticam poteſtatem permanare dixerunt. Qui uerò ſpiritu Dei ducuntur, eundem ſenſum habere exiſtimemus, oportet: etiam ſi uerbis diſſentire uideantur. Atqui ſpiritu eodem cùm incitentur eruditiſſimi ſanctiſsimíque Patres, eandémque demum in ſententiam eant; in aciem, quam nos inſtruimus, omnes accipiantur, neceſſe eſt. Quippe qui Leonis Magni, cuius ſententiam ſuprà expoſuimus, ſecuti, ut Pontificum omnium Principem, Eccleſiæque præſidem uniuerſæ Romanum Antiſtitem, ac diuinorum myſteriorum, cæleſtiúmq; munerum primarium adminiſtratorem, per quem cæteri omnes eorum participes fiunt, eſſe profitentur: ſic auctorem C H R I S T V M, *à quo hæc omnia proficiſcuntur, agnoſcũt; &, quæ ille conſtituit, iure diuino ſtabiliunt. Nec uerò unquàm crediderim eos ſinere ex noſtrâ in eorum aciem ſe deductum iri. Nam illi de Eccleſiæ adminiſtratione, quam Dei mandato Epiſcopis eorum princeps tribuit, loquuntur. Is enim unus, cùm uniuerſi cœtus Chriſtiani gubernationem à Domino accepiſſet, cæteris, prout ille præceperat, impertit:* Refutatur.

qui

qui cùm potestatem iuris dicundi, uímque gubernandi, dum initiarentur, à CHRISTO *sumpsissent, ipsam siue iurisdictionem, siue Ecclesiæ administrationem non delegatam illam quidem, sed ordinatá à Pontifice Romano, aut potius per eum à Deo suscipiunt. Ac Leo Magnus, quem ij sequuntur, ut diximus, ad Episcopos Galliæ scribit de fide illâ Petri, qua is meruit non modò Antistitum omnium esse caput, sed & id, quod ipse erat* CHRISTVS *nominari; nimirùm Lapis, super quem ille esset Ecclesiam suam ædificaturus: ut, qui mysterij diuini partem habere uellet, ne à firmitate earum rerum discederet, quas ille idem Petrus tenendas esse docuerat. Atque hanc ipsam Pontificiam potestatem, de qua nunc agitur, non semel is idem Pontifex Maximus, ut Magistratum Latini scriptores, dignitatem appellat, eámque diuinam: ac presertim in eâdem Epistolâ, ut dictum est, cùm Hilarius Episcopus sibi plus, quàm liceret, assumeret. Nam, ut illum reprehenderet, ostendens quàm ipse, ut decebat, summi præsidis personam gereret,* Nostra, *inquit*, cura non sua quærens; sed quæ sunt CHRISTI, dignitatem diuinitùs datam nec Ecclesiis, nec Ecclesiarum Sacerdotibus abrogabat. *Episcopos, Sacerdotes Ecclesiarum uocat. Quamobrem, qui* CHRISTVM *fontem munerum Ecclesiasticorum nuncuparet, Petrum fluuium ab eo manantem, Episcopos riuos, in quos flumen ad Ecclesiam irrigandam deducitur, à uero fortasse neutiquàm*

quàm aberraret: cùm à CHRISTO *per Petrum ad Epiſcopos illa permanare dicantur. Vt mirandum non ſit Petrum etiam fontem nominari: quando, ut primùm fons ille patere cœpit, ex eo hic fluuius prodijt, quod caput aquarum cùm ſit, fons, quoque dici ſolet. quæ enim in fonte aquæ includuntur, ex eo quamprimū erumpere uidentur. Vt* CHRISTVS *mons quidem ſit, fontem habens interiùs incluſum, qui ſaxo percuſſo, cùm primùm cœptus eſt aperiri, ſontem Petrum protulit ſub oculos cadentem. Is adeò permagno fluuio perlabitur, ut in plures amnes deductus uniuerſum terrarum orbem pererret, cœtúmque irriget omnem Chriſtianum. Ac, nequis miretur fontem, qui ipſe* CHRISTVS *eſt, Petrum appellari: cùm ille ipſe lapidem, qui ipſe erat, eum dici uoluerit: et, qui ipſe uerè eſt, non modò illum ipſum, uerùm etiam quicunque ſuum pecus paſcendum ſumeret, paſtorem, & eſſe & uocari ſtatuerit. An, cùm ita Reſp. Chriſtiana ordinata ſit, ita fons ille emergat, ita flumen labatur; aquæ illæ à Deo non manant? ad Deum originem ſuam non referunt? diuinæ non ſunt dicendæ? Quàm ridiculum eſt, quòd aiunt, uerbis illis,* Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo. quæcunquæ ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlo: *Apoſtolis promiſſam, non datam eſſe, & alligandi, & abſoluendi poteſtatem. Cùm enim hoc idem uni Petro anteà dixiſſet, omnes diuinæ ſcripturæ explanatores promiſſam, non datam*

Obiecta refutantur.

datam exponunt: esto, promiserit tum Petro; non dederit, quod se daturum dixisset. At hoc loco Petro, cæterisque Apostolis apertè se indicat dedisse. cùm pronunciatum effatúmque quoddam illud sit; quod, quamuis in posterum dirigatur, enuntiandi tamen uim dilucidè habeat. Amen, *inquit*, dico uobis. *An dicere eo loco non est dare potestatem? An non ipsum Amen, quod sequitur, affirmat? At esto, promittatur. An Deus non stat promissis? an is est, qui, quæ pollicetur, non soluat? an Apostolorum quisquam, uno, qui Dominum prodidit, excepto, meruit, ne promissa consequeretur?*

Obiicitur. *At uni Petro, quod fuerat promissum, disertis postea datum legitur uerbis: nempe illi uni promissæ sunt claues Regni cœlestis; cùm se illi uni eas daturum dixit: datæ, cùm illum unum iussit pascere oues suas.*

Refutatur. *An non testimonijs luculentissimis sanctissimorum doctissimorúmque Patrum ostensum est, etsi unum Petrum Dominus alloquebatur, quod tamen uni promissum, datúmque est, Apostolis omnibus promissum, datúmque esse? sed, quare uni, iam latè explicatum est. haud quenquàm uelim repetitâ occidere Crambe. Nimirùm, non ut unus gubernaret: sed planè, ut unus uniuersæ Ecclesiæ præesset. Iam uerò Apostolis datum est, quod esse promissum aiunt: cùm eos accipere Spiritum sanctum iussisset.*

Obiicitur. *Quid eorum primipilus? An, inquit, Hæreticus dicar, si ad neutram clauem iurisdictionem spectare affirmem. At inficiari non poterit, si in hac sententiâ*

tentiâ permanserit, se in quadam hæresi uersari, qua à communi opinione, ac potiùs ab omnium confessione, qui de ui clauium scripserunt, recedit, cùm eâ potestates omnino omnes à Domino Deóque nostro Apostolorum Principi datas complectantur. Itaque desperanti similis uidetur, qui in pertinaciâ suæ opinationis obfirmatus, cùm eam se tueri posse minimè confidat, negat, quod nondum cuiquam dubium fuit: ut obsequi uoluntati suæ, quàm rationem sequi malit. At, si diceret non omnem clauium potestatem in Episcopos conuenire, libentissimo quidem animo assentiremur. Sed quæ ad iudicandum attinent, atque ad Ecclesiam alicuius loci regendam, & minores dici solent potestates; eò quòd pastorali munere comprehenduntur, non est quod ab Episcopiâ dignitate seiungantur. Neque enim Pontifex Romanus, ut unus ipse Domini oues pascat, ut fuit uniuersi cœtus Christiani pastor institutus: uerùm ut alios quoque pastores ad pascendum adhibeat. Quod adeò ei mandatum est; ut, si minùs Episcopos creârit, qui in regendâ Ecclesiâ sibi socij participésque essent, ut nos exposuimus, laboris, plurimùm ille peccaret. Quamobrem, cùm Dei mandato Antistites cooptentur, iniuriâ sanè à iure diuino eorum potestates eximuntur; etiá si non proximè à CHRISTO *proueniant. At instant adhuc opponere Aquinatem, cùm dixerit potestatem iurisdicendi simplici hominis iussu deferri, eámque mutari posse. An putant eruditissimum Doctorem, eundémque*

Refutatur. Obiicitur. Refutatur Obiicitur. 2. 2. q. 39.

Refutatur. Opusc. XIX. c. 4. que sanctissimum sibi non constare? quippe qui planè docuerit, ut diximus, Episcopo cùm sacra, initiáque traduntur, animorum curationem, quæ sine iurisdictione esse nequit, præberi: in Sacerdotes, & lege naturæ, & iure diuino illum potestatem habere: nec aliter in eos, qui sibi subiunguntur, ac summum Pontificem in omnes Christianos, proximam uim iurisdicendi obtinere: atque alio loco, cùm declararet, quanto parochis Episcopi sunt excellentiores; hos regibus, illos præfectis comparauerit. Quemadmodùm enim ex ijs, qui rerum in terris potiuntur, ait Regem solùm solenni quodam ritu in regali solio collocari: cæteris simplici delegatione imperium dari: ita in Ecclesiâ, religiosâ consecratione Episcopo dumtaxat Pontificiam administrationem deferri; parochis puro quodam mandato curationem committi. Quamobrem, cùm Doctor ille & eruditione & sanctitate insignis de duplici Episcopi potestate loqueretur; & quo inter se differrent, esset expositurus; ac naturam utriusque perpenderet, quam mysticam, sacrámque ipse appellat: dixit suapte ui nunquàm sine consecratione deferri; alteram, quæ iurisdictionem attingit, uel simplici hominis iussu committi: cùm sua hæc natura id ferat, ut possit à summo Pontifice, cui quidem ille uelit, delegari. Et uerò eam iurisdicendi facultatem intelligit, quæ præfecturam ipsam Ecclesiasticam consequitur. Cùm enim ad Pontificem Maximum attineat huic, illi; hanc, illam diœcesim assignare: e-

iusdem

iusdem quoque est iurisdictionem, qua in eâ regendâ usurus sit, præbere. At uim illam iurisdicendi, & gubernandi, quæ cum dignitate pontificiâ coniuncta est, neque mysticam sacrámque esse inficiatur, neque in consecrando haberi. Atque ei, qui à corpore Ecclesiæ sit abscissus, & à capite disiunctus, utranque superesse quidem assentitur, sed facultatem ritè utendi auferri. Id autem interesse; quòd, siquid is illâ potestate, quanquàm non rectè, exequitur, ualet: quod hac, non ualet. propterea quod non modò illa interiùs mystica est, uerùm & extrà eius item usus ad mysterium spectat: hæc, etsi consecratione accipitur, eius quidem utendi facultas ad sacrum non attinet, sed tota ab hominis dumtaxat pendet uoluntate ad gubernandi munus obeundum. Itaque Episcopo ius in Ecclesiam regendam docuit Aquinas à Deo proximè deferri: facultatem iuris utendi uel simplici puróque hominis mandato committi. Quam nos iurisdicendi facultatem nuncupamus, alij subiectam ad ius dicendum materiam appellant, in qua Episcopi potestas uersari possit. Nimirùm Pontifex Maximus Ecclesiam alicuius loci Dei mandato sub eius ditionem subiungit, in qua Pontificiali iure uti queat. eam cùm ipse dederit, si iusta suberit causa, ad Ecclesiæ utilitatem auferre omnino potest: potestatem gubernandi, iudicandíue diuinitùs datam, non potest; quamuis merentem iure queat, ne illâ utatur, cohibere. Quare uim nullam habet, quod obijcitur; si à Deo pote-

stas iurisdicendi habeatur, nihil esse, cùm adimitur iurisdictio, quò minus, si illâ utatur Antistes, quod molitur, assequatur: quemadmodùm assequitur, cùm initiat, aut consecrat, aut consignat, etiam si peccet: quia Pontifici Maximo prohibenti non paret. Nam constat in his, quæ accidunt, id recenseri; non sanè in his, quæ rei uim interiorem per se attingunt. Materia potestati subiecta cùm demitur, deest, in quo ea possit exequi uim suam. Demitur, cùm ita officitur, ut uī eius capere nequeat. Ignis nunquàm se in ligna immittet, nisi illa sint apta, affectáque ad suscipiendum. Cur materies ad uim eius potestatis, quàm ordini attribuút, capiendam non fit item non habilis; id causæ est, quòd illa pendet tantummodò ex hominis uel initiandi, uel consignandi uoluntate: hæc ex iussu prohibentis, qui adimit Episcopo eos, in quos iudicandi munere uti haberet. Illa cùm imprimat sacram quandam notam, in animo initiari, consignariue cupientis, quæ deleri nequit; ut Pontifex Romanus, qui rerum omnium præpotens est, eam eluere non potest; ita nec efficere, quin imprimatur: hæc nullam mysterij uestigiú inscribit, quod insignitum, impreßúmque relinquatur. An inferior Sacerdos à Deo & ligandi, & absoluendi potestatem, quæ ad iudicium attinet, sumit, tametsi illâ uti nequit, nisi utendi accipiat à Pontifice facultatem: qui summus dicitur Sacerdos, uis iudicandi diuinitùs ei non defertur, eò quòd uti illâ non possit, si Pontifex Maximus nolit? Nec

Obiicitur.

cessant obijcere, auctore Deo, quod ipse de se ait, Reges regnare; & qui leges ferunt, quæ iusta sint, decernere: potestatem teste Paulo, quæ à Deo non sit ordinata, nullam reperiri: Principes item, ut Sacerdotes, ungi consueße: neminem autem ita insanire, qui eos constitui diuino iure fateatur. Quantâ pietate, quantâque religione, Patres amplißimi, hæc obiectentur, ipsi qui obiectant, uiderint. si non secùs ciuilis potestas, atque Ecclesiastica esset ad auctoritatem Dei referenda; Romanus Imperator, cui planè in orbem terrarum summum imperium est, non cederet Pontifici Romano. Vterque Maximus princeps in Rep. Christianâ: uterque ad Deum æquè refert originem suam: uterque sacrâ unctione oblinitur: utraque potestas à Deo constituta. Ne ipse quidem immeritò, si Dijs placet, se inferiorem duceret Princeps Turcarum; qui terrâ, mariique rerum omnium quàm præpotens sit, perspectum habetis. Desinant, quæso, hæc aliquando effutire, ne delirare uideantur. Num eadem ratio est Regni cœlestis, atque humani? utrunque Deus constituit. Num'ne eâdem lege? omnia Deus, quæ supra Lunam, quæ infra sunt; quæ sub aspectu ponuntur, quæ à sensu cernendi remouentur, creauit. In orbe terrarum, quod regnaret, genus hominum statuit. Ipsi inter se ut alij præeßent, alij parêrent, instituit: ut, qui præsiderent, eorum imperata si quis contemneret, peccaret. Id sanè sibi uult, quod tradit Paulus, qui resistit potestati, Dei resistere institutioni.

Refutatur.

tutioni. Regem ipse sponte suâ neminem designauit: ipsi inter se homines ui dominari, urbes capere, gentes nationésque sub iurisdictionem suam subiungere cœperunt. Vt meritò quatuor illi unius dominatus quatuor belluis comparentur: quasi abiectâ ratione, principes illi dominandi libidine inducti, à bestijs didicerint bella mouere; quibus uirium minùs erat, inuadere, sub potestatem subijcere, imperare. Ipsi inter se Resp. humanas constituerunt; siue optimates præessent; siue pauci, ipsique præpotentes dominarentur; siue populus rerum potiretur, siue unus imperium, isque aut Rex, aut Tyrannus obtineret. In illâ natione, quam unam ex omnibus sibi delegit, Sacerdotium instituit, quod uerè regiâ summâque amplitudine præditum cœlestis regni instar haberet, quam ἱεραρχίαν appellant; et suo nomine, qui eo fungeretur, ius populo diceret. Ipsi Israelitani, nescio qua ambitione, & cupiditate Regij splendoris, permoti, ut quemadmodùm, cæteræ nationes principem haberent, qui arma caperet, aciem instrueret, præiret, pugnaret, bella gereret, hostem repelleret, aliena regna inuaderet, domi splendidè uiueret; qui essent in famulatu, permultos magnificè aleret; uiros militares, eosdémque fortissimos eligeret; quorum alios Centuriones, alios Tribunos, alios Magistros equitum constitueret; unum aliquem militiæ præficeret: ipsi inquam Israelitani Regem petiuerunt. Petentibus dedit non inuitus; at non sanè quidem sponte suâ, sed qui bene pla

nè

nè declarauerit; ſe, non Vatem, Sacerdotémq; ſuũ, à ſuis contemptum; eos ſibi hominem, qui regnaret, prætuliſſe. Vngi Reges non inficiamur; conſecrari, Deóque addici inficiamur. Quanquàm neque idem in ungendo ritus adhibetur: neque Rex quicunque ungi conſueuit. Epiſcopus nemo unquàm fuit, qui non conſecraretur; qui conſecratus non ſit, ei nihil electio, nihil approbatio profuerit, niſi tandem conſecretur, quò minùs de loco deijciatur. At demus Regnum Iſraelitanum à Deo conſtitutum eſſe ad Regnum, quod CHRISTO *eius filio Rege inſtitui deberet, præmoſtrandum: ut Sacerdotium fatemur inſtitutum, quod Domini Deíque noſtri Sacerdotiũ ſignificaret: cùm ille unus in omni æternitate & cælo terrâque præpotens rerum omnium Rex futurus eſſet, & Sacerdos. Num in Chriſtianorum orbe quæ regna ſunt, illo eodem auctore omnia fuiſſe conſtituta aſſentiemur? ſed aſſentiri oportuerit; quos Deus inſtituit Reges, ungíque iuſſit, eos diuino iure inſtitutos oblitósque fuiſſe: quod conſtituit Regnũ, quod Sacerdotium, diuinâ lege fundatum. Moſem, ut noſtis, & Sacerdotem & Imperatorem Iſraelitanis Deus dedit. Moſes Dei mandato fratrem, & qui ab eo originem ducturi eſſent, ad ampliſſimum Sacerdotium elegit: Imperium Nuni filio commiſit. utrunque eruditiſſimi, ſanctiſſimíque ſcripturæ explanatores iure diuino uallatum eſſe confitentur. Ad paſtorem illum, eundémque uatem regiũ, quod Saulus Regnum leuæ mentis errore, cùm Dei*

præceptum neglexisset, amiserat, accepimus deuenisse: hunc planè CHRISTI *significationem habuisse; ex huius illum progenie in eam lucem, qua homines fruuntur, suscipiendum esse; ad illum ipsum unum Israelitanum & Regnum, & Sacerdotium peruenturum. Vbi ille aduenisset & Rex, & Sacerdos, Israelitanis utrunque defuturum. Quam Ecclesiam Dei uocamus, non secùs, atque cùm Moses & imperaret, & Sacerdotio fungeretur; immò uerò præclariùs, ueriúsque à* CHRISTO *& Rege, & Sacerdote, genus electum, regale Sacerdotium, & gens sancta meruit appellari. Vnum ille Regnumquod cœleste dicitur, prætereà nullum, constituit; in eo principes posuit, quos ipse summos instituit Sacerdotes. Neminem, qui cœtus hominum regeret, prǽterquàm quibus amplissimum Sacerdotium mandauit, elegit. His unum præfecit, quippe Pontificem Romanum, qui uniuersæ Rei Christianæ præesset. Adhæc ipsa comprobanda accipite, Patres amplissimi, quæ Magnus ille scripsit* Basilius. *Basilius, cùm id Esaiæ dilucidè explicaret:* Instituam Iudices tuos, ut priùs. Omissis, *inquit,* Regibus de Iudicibus meminit. quoniam illa Iudicum Resp. liberior erat, & naturæ magis conueniens: cùm populus legibus uiueret suis, Deumque solum Dominum agnosceret. status autem Regius ex imprudentia illorum profectus est. Quare, quos beneficio præclaro afficiebat, iis meliorem beatio-

remque

remque statum promissus ille CHRISTVS restitueret, oportebat?] *Hæc est illa in terris Hierarchia, quam nos docuit Dionysius Areopagita Pauli discipulus. In ea multi Hierarchæ, quos tum Episcopos, tum Pontifices, tum etiam* CHRISTI *Vicarios, interdum & Legatos appellamus, iure diuino præsident. Vnus, qui propter excellentiam* CHRISTI *Vicarius uocatur, & commune omnium Episcoporum nomen efficit suum, eorum princeps est ex Domini instituto; unus, à quo omnes creantur, à quo præfecturas accipiunt, à quo tota Resp. Christiana gubernatur. Qui rerum in orbe terrarum potirentur, neutiquam sustulit: sed reddi, quæ sunt Cæsaris, Cæsari iussit; quæ Dei, Deo. Quamobrē, qui summi Sacerdotes computantur, iidem* CHRISTI *regnum administrant. His quotquot hoc regno comprehenduntur, quotquot se Christianos profitentur, uel ipsi principes parēre debent. At Ecclesia Romana ritum instituit, quo quem ipsa Occidentis imperio præfecerit, quem insignibus Regijs, regalique appellatione decorauerit, quem de se optimè meritum magnificentissimis decretis honestârit; in eo sacrâ unctione oblinendo, in bene ei precando, ueterem illum morem ungendi Regis, quem Israelitani Vates adhibere Dei iussu consueuerunt, imitarentur: ut principes Christiani se Dei nutu, ac uoluntate rerum potiri animaduerterent; in eius se esse potestate ac ditione; ab eo regi, & gubernari:* CHRISTVM *eius filium Dominū omnium, qui dominarentur;*

tur; Regem omnium, qui regnarent, agnoscerent; eius Vicarijs obedirent; Ecclesiam defenderent; Ecclesiasticas immunitates tuerentur. id promitterẽt, cùm diadema imponeretur; id planè pollicerentur; id iureiurando affirmarent. Quapropter post CHRISTI *Domini aduentum Pontificis consecrandi nó eadem est ratio, quæ Regis ungendi: cùm illa diuina sit; hæc planè humana. Deus enim instituit, ut præclarâ quadam notâ, eximióque Episcopij muneris insigni sibi Episcopi dicarentur. Diademata, cætera insignia Regalia, ritum Regis ornandi homines inuenerunt. Pontifices Romani, ad id maiore cum maiestate obeundum, religionem quandam adiunxerunt: qua nihil ille insignitæ notæ, quæ euanescere nequeat, interiùs suscipit; etsi mentem egregiam, ut par est, bonámque uoluntatem. Cùm autem Episcopus consecratur, in eius animo Pontificiæ dignitatis insigne uestigium ita impressum, & consignatum inscribitur, ut nunquàm deleri possit. Quàm probè maiores nostri Episcopiam potestatem cœlestem esse; regiam terrenam demonstrant? Cùm Chrysostomus dicat, quantò cœlum terrâ est eminentiùs; tantò hác illâ esse præstantiorem: Ambrosius, adeò Regalem dominatum post Sacerdotium esse habendũ, ut plumbo aurum non tantò esse pretiosius putet, quantò pluris hoc illo æstimandum: Innocentius* III, *quæ cœlestia sunt, tam præponenda terrenis censeat, quàm corpori animus præfertur: ipse Iustinianus Imperator ita sentiat, Sacerdotium Imperio præstare;*

Chrysost. Ambrosius. Innoc. III. Iustinianus Imp.

re; ut hoc diuinis rebus præesse, illud humanis arbitretur. Iam uerò urgent, & tanquàm amentatam hastam in nos torquent; atque, ut putant, eâ ualidiorem, qua in certando Achilles utebatur: cùm argumentantur, si Dei mandato ad Ecclesiam regendam Episcopi creandi essent, id planè sequi oportere, ut non ritè instituantur, qui ad ius dicendum non designentur. At liquet in Ecclesiâ iam olim morem fuisse, ut Nicephorus testificatur, Episcopos honoris causâ cooptandi; & quidem ad munia, quæ ordini ascribuntur, obeunda. Multos præterea creari ad Ecclesiam administrandam, cui nihil præter nomen relictum sit: cùm in eâ neque plebem, quam doceat, habeant; neque Ecclesiasticos ministros, quorum operâ ad Deum piè sanctéque colendum, utantur. Obiicitur. Nicephorus L. 11. c. 12.

Quàm facilè hoc telum perfringatur, quæso, animaduertant. Quod testificatur Nicephorus, nunquàm Ecclesia Romana, quæ uniuersi cœtus Christiani magistra est, probasse reperitur. qui suâ quondam abutebantur potestate, ab ijs id factum compertum habemus. Vsus Pontificiæ potestatis, non abusus opponi deberet, ad sententiam nostram refellendam. Quid, si probemus, quæ de Barse et Eulogio, qui desertis in locis uitam agebant, narrat Nicephorus; etsi non aliquâ in urbe Pontificio munere fungebantur: in ea tamen sancta religiosáque sodalitia, quæ erant in solitudine constituta, ut Episcopiam haberent potestaté, existimemus licet Antistites esse cooptatos. Nam in eâ sodalitate, quam Refutatur.

D. Bene-

D. Benedictus constituit, Episcopiæ dignitatis insignibus, qui præsidet, ornatur. Atqui utrunque Edessenorum Episcopum fuisse reperies. Illud porrò contenderim neminem unquàm in Episcoporum ordinem esse cooptatum; qui ius Episcopij muneris liberum haberet. Ac, tantùm abest, ut Romani Pontifices approbârint præfecturas Episcopis deferri, quæ uano quodam tituli splendore honestarentur, re nullæ essent; ut uetuerint, nequis eas deinceps suo iniussu deferret. Non deerant Antistites Metropolitani, qui, quos uiri doctissimi monstri instar habere dicunt, consecrarent. Facultatem eos designandi sibi Pontifices Maximos ad utilitatem Ecclesiæ reseruasse; nempe nequâ in parte deesset, qui eam, cùm opus esset, administraret, licet, arbitremur. Qui Dei præcepto eius oues pascit in orbe terrarum uniuerso, ut mandatum exequatur, neminem Episcopum eligit, quē non ad opus pascendi designet, et in quo cooptando non eandem cooptandi notam, ac formulam, quæ una est, omnino adhibeat. An exciderūt illa uerba; Vade, & prædica populo tibi commisso? *Aut putant inanem esse hanc precationem,* Tribuas ei Domine sedem Episcopiam ad regendam Ecclesiam tuam, & plebem sibi commissam? *et illam,* Deus omnium fidelium Pastor, & Rector hunc famulum tuum, quem Ecclesiæ tuæ præesse uoluisti, propitiùs respice: da ei, quæsumus, uerbo, & exēplo, quibus præest, proficere? *Aut memoriâ earum*

Ex Pontificiali.

earum rerum deposuerunt, quas quisque Episcopus, antequàm consecretur, promittit, quas profitetur, quas iureiurando affirmat? siqua est alia forma, si qua alia ratio, quàm in consecrando unquàm Ecclesia seruârit, doceant, proferant, ostendant. ne clàm teneant, ne soli habeant: nobis nulla prætereà comperta est. Antequàm in diœceses Ecclesiam Apostoli distribuissent, Episcopi ad Ecclesiam regendam etsi non ad certam definitámque præfecturam, ad certum tamen definitúmque officium, nempe ad opus Episcopium exequendum, ubicunque Euangelij prædicandi locus daretur, ut illi ipsi Apostoli à Domino instituti sunt, cooptabantur. Post diocesium distributionem nemò unquàm Pontifex cooptatus reperitur, qui non ad aliquam Ecclesiam gubernandam designaretur. Vt primùm autem aliqua regio ad credendum, atque ad religionem Christianam profitendam inducta esset, in eâ quidem Episcopi suâ quisque in ciuitate constituebantur. Interdum etiam ad eas prouincias mittebantur, quas CHRISTI *religiosa præcepta suscepturas esse confiderent: ut in his Domini Deique nostri nomen sanctum, potentiámque mirificam peruulgarent; populósque de salute, ac de uitâ æternâ, quam ille credentibus pollicetur, docerent; &, religione susceptâ, in officio retinerent: diœceses distribuerent, in suâ quemque Antistitem crearent. Id Tito à Paulo mandatum comperitur, cùm ad Cretenses eum legasset. At uideo statim mihi oppositum iri, quòd beatissimus Petrus*

Obiicitur.

trus Clementem Episcopum, & successorem in Ecclesiâ regendâ, ut postquàm ipse è uitâ mortali excessisset, non cùm adhuc ipse uiueret, Pontificium opus exequeretur, constituit: quod Linum, & Cletum Episcopos instituit, non qui populum erudirent, & quod Pontificis proprium munus est, obirent: (hoc sibi ille reseruauit) sed qui Sacerdotis officia plebi præstarent: ut ipse liberior, & expeditior ad precandum, atque docendum incumberet. Verùm enim, qui diligentiùs, consideratiúsque rem ipsam animaduerterent; nunquàm profectò hanc nobis historiam obijcerent. Cùm dies uitæ postremus immineret, compertùmque haberet Pontifex ille Maximus se propediem supplicium ad Domini gloriam subiturum; qui sibi succederet Clementem, non modò elegit, sed et in sede Pótificiali collocauit. Linum, & Cletum, si Ioanni III. *Pontifici Romano locupletissimo auctori fides adhibenda est, iam pridem adiutores Sacerdotes sibi adsciuerat: si Mariani Scoti testimonium contemnendum minimè est, Chorepiscopos nominauit. Id etiam præsefert, quod traditum est, ut populo Sacerdotis officia præstarent. Quamobrem Chorepiscopos, non Episcopos institutos fuisse scribendum esset. Recitentur, quæ sanctissimus ille Pontifex in scriptis reliquit, cùm de Chorepiscopis ageret.* Si Petrus princeps Apostolorum adiutores sibi adsciuit, Linum & Cletum: non tamen potestatem Pontificiam, aut ligandi, aut soluendi eis normam tradidit:

Refutatur.

Ioannes III.

Marianus Scotus.

dit: sed successori suo sancto Clementi, qui sedem Apostolicam traditam sibi à beato Petro tenere promeruit. Linus uerò & Cletus ministrabant exteriora. Petrus autem uerbo & oratione instabat. Munus ministrandi septuaginta fuit discipulorum. *Nam paulò pòst*, Septuaginta, *inquit*, electi sunt discipuli, qui exteriora peragerent. Vt planè ostenderet ad id Linum, & Cletum, quod Chorepiscopi efficere solebant, non ad opus Episcopium ascriptos. *Quod haud multò pòst planiùs declarat*. Linum, *inquit*, & Cletum nihil legimus Pontificia uel administratione, uel potestate egisse: quod enim à beato Petro mandabatur, id tantummodò agebant. *Audite, quæ Marianus eius sententiam secutus, concludit*. Clemens ergo primus post Petrum Romanam Ecclesiam tenuit; uel cum Lino & Cleto, sicut cum Petro fuerunt, nempe eius fuerunt adiutores. *Neque mihi obiectauerint, quod ille idem Marianus tradiderit, Clementem antequàm Petrus in crucem actus esset, nouem annos Romanam sedem tenuisse. An non par fuit, ut quo tempore Petrus cum totâ Iudeorum gente Româ eiectus est, qui Romanam Ecclesiam regeret, Episcopum cooptaret? præsertim cùm eum elegerit, quem successorem esset relicturus. Num donec ille exularet, præsertim cùm nesciret, an esset unquàm de exilio reducendus, princeps Ecclesia Pontifice* Obiicitur. Refutatur.

carere

carere debebat? aut, ſiquid humanitùs illi accidiſſet, ſine paſtore grex primarius erat relinquendus? Cùm autem, qui res geſtas ſummorum Pontificum ſcripſerunt, maior pars Linum, & Cletum, aut certè quidem Cletum in his, qui ſedem Apoſtolicam tenuerunt, percenſeant; probatur mihi admodùm, quod ait Pontificij iuris explanator, ne Ioannes III. *Damaſo refragari uideatur; Clementem, ne poſteris eſſet exemplum ſucceſſoris deſignandi, quod periculoſam haberet imitationem, Pontificatu abdicato obtinuiſſe, ut Linus, hoc mortuo, ut Cletus in Epiſcopum Romanum eligeretur. Cùm is ex uitâ migraſſet, ipſe ſuperſtes uiueret, munus Pontificium, quod à Petro ſuſceperat, obijſſe. Quàm leue ſit id, quod etiam opponunt, nemini perſpectum eſſe nequit. Quid ſibi uult, inquiunt, Pontifices Maximos decennio, aut etiam longiore annorum curriculo bis operam Sacerdotibus cooptandis dediſſe, Epiſcopos* XV. *cooptaſſe? nónne ut paratos Antiſtites haberent, quos ad Eccleſias regendas, cùm opus eſſet, mitterent? Qua ratione, quo teſte, quo auctore ad hoc aſſerendum inducantur, nequeo ſanè intelligere. An non memoriâ tenent eodem loco ſcriptum reperiri, Per diuerſa loca Epiſcopos illos eſſe inſtitutos: Vt planè, ſi uelint, perſpiciant, non antequàm certi cuiuſdam loci Eccleſia præſidem poſtularet, fuiſſe cooptatum. Si eſſet hic locus, dicerem de his, qui ſe & eſſe & nominari Epiſcopos cùm uelint, non habent, ubi Epiſcopio munere fungi queant.*

Obiicitur. (margin, beside "ficium, quod à Petro")

Refutatur. (margin, beside "eſſet, mitterent")

rat. Nemo inficiari potest, eos iam pridem institui cœptos esse. At multi asseuerant, iique uiri doctrinâ præstantes, ab ipso iure ortum non ducere. Non semel concilia maiorum nostrorum decreuerunt, nequis in Ecclesiâ non suâ doceat, aut quoduis aliud Pontificium opus obeat: ne unius eiusdémque ciuitatis Episcopia præfectura duobus deferatur. An non usu uenit, ut in Oriente, quæ diœcesis Episcopum habeat suum, quamuis à capite Christiani cœtus disiunctum; Romæ alteri ea tribuatur? si licet, atque expedit deferri: qui cooptatur, ad eam regendam cur non accedit? Quid significat regula illa Chalcedonensis concilij, nequis solutè liberéque initietur? Nónne, ut necui sacra initiáque tradantur; qui non officijs certo quodam loco obeundis addicatur? Hoc institutum undè originem traxerit, nondum mihi exploratum est. Nam, quod est in Concilio Constātinopolitano, & in Chalcedonensi de Episcopis, qui ad gubernandas Barbarorum Ecclesias creabantur, nihil ad hoc ipsum attinet: cùm iam diœceses illi & haberent, & administrarent. Quod proditum est, haud scio an minùs locuplete auctore, cùm Africam Barbaræ nationes Romano Imperatori ademissent, Ecclesiis Africanis Episcopos non desitos esse consecrari, non utique urget: cùm adhuc spes aliqua superesset eius prouinciæ recipiendæ. Quamobrem hunc morem Ecclesia Romana retineat, fateor me ignorare. Sunt, qui dicant, ut, quam cœpit possessionem earum diœ-

cesium tribuendarum, teneat. Agnosco consulta eorum, qui ius Pontificium pertractant. Vtinam ne in messem Theologorum falcem immisissent. Quis uspiam dicatur id possidere, in cuius possessionem ne pedem quidem unquàm posuerit? tantùm abest, ut surculum ad eam usurpandam defregerit. An non ij potiùs ad se ius possidendi spectare contenderint, qui eas habent Ecclesias, nec dum earum usum, qui finis rerum est, amiserunt. si eis liceret, nónne ex iure manu consertum uocarent, qui in earum rerum, quibus alij potiuntur, possessiones irruissent? sed quemadmodùm, quamuis diuturna possessio, in qua ij sint, qui à capite Ecclesiæ remoti ab eâ recesserunt, nihil summi Pontificis potestati præscribit, quo minùs iure suo uti possit: ita necesse ei non est hanc rationem ad ius suum retinendum adhibere: præsertim cùm ad Ecclesiam ædificandam nihil proficiat: atque haud sciam, an magis causam, cùm minùs uelit, præbeat peccandi. Quæ à Deo data est plenissima, summaq́ue potestas, ei lex humana quid unquàm præfinierit? In ea, quæ ab homine deferuntur, hæc norma præscribendi, de qua tam multa id genus Iurisconsulti perscribunt, uim fortasse habere posset. Nunc sedem Apostolicam, eámque Romanam Deus fundauit: ea maximæ potestatis, qua prædita est, Deum auctorem habet. Nec desunt, qui affirment, ut, qui in summo Ecclesiæ Romanæ collegio sunt ascripti; qui in Germaniâ, in cæteris nationibus Transalpinis principes se appellari gloriantur,

riantur, Epiſcopi munus contemnunt; opibus Eccleſiarum fruantur, adminiſtrationem, quibus committant, habeant. An id probandum ſit, ut quæ, ipſi officia per ſe Dei præcepto præſtare coguntur, per alios exequantur, non eſt meum diſceptare. Illud habetote, neque decipi Deum, neque irrideri. Ego uerò hoc uelim, qui maximas obtinent, locupletiſſimáſq; diœceſes, ut dent partem aliquam, ad cuius Eccleſiá ſumendá cooptari Epiſcopus is queat, cuius operâ ſint uſuri; ne uano, falsóq; nomine appelletur; modò ipſi obire munia ſua ne deſinant. Poſtremò, quaſi equũ Troianũ ad expugnandá noſtrarum arcem rationum, apponũt machinam ex teſtimonijs Chryſoſtomi, Ambroſiiq;, et Auguſtini conflatam. Obiicitur.
Inter Epiſcopum, *inquit Chryſoſtomus*, atque presbyterum intereſt ferè nihil. Quippe & presbyteris Eccleſiæ cura cõmiſſa eſt: & quæ de Epiſcopis dixit Paulus, ea etiam presbyteris congruunt. Nempe ſola cooptatione ſuperiores illi ſunt; atque hoc tantùm plùs, quàm presbyteri habere uidentur. *Ambroſius*, Poſt Epiſcopum diaconi cooptationem ſubiecit. Quare? niſi quia Epiſcopi, & presbiteri una cooptatio eſt. Vterque enim Sacerdos eſt, Sed Epiſcopus primus, ut omnes Epiſcopi presbyteri ſint: non ſane omnes presbyteri Epiſcopi. Hic enim Epiſcopus eſt, qui inter presbyteros primus eſt. Denique Timotheũ presbyterum cooptatum ſignificauit: ſed

1 Tim. 3. Chryſoſt. — Ambroſ.

quoniam ante se alterum non habebat, Episcopus erat. *Augustinus*, Presbyterum intelligi Episcopum probat Apostolus; cùm Timotheum, quem presbiterum cooptauit, instituit, qualem debeat Episcopum creare. Quid est enim Episcopus, nisi primus presbiterorum, hoc est summus Sacerdos? Nec aliter Episcopos, quàm compresbyteros uocat, & consacerdotes suos. nunquid aut comministros, aut condiaconos suos dicit Episcopos? *Quid tum? permissam ait esse Chrysostomus presbyteris Ecclesiæ curationem, non eos ad Ecclesiam regendam consecrari. Quid prætereà insinuauit, cùm Episcopos dixit esse presbyteris sola cooptatione superiores, nisi Episcopum tum ad Ecclesiæ gubernationem religioso quodam ritu, qui presbytero, cùm administratio committitur, non adhibetur, cooptari; tum etiam uim in quencunque ordinem cooptandi obtinere? Quid Ambrosius? an non docet utrunque eâdem ratione consecrandi in Sacerdotij collegium adsciri? hoc inter se differre, quòd Episcopus principem in Sacerdotio locum; quē presbyterum uocant, inferiorem tenet. Maior ille est, hic minor Sacerdos. Quamobrem ille non explicat; sed postulanti planissimè declarauerit: nempe eligi, ac designari Episcopum ad Ecclesiam regendam, & consecrari: ut ab incunabulis Christiani cœtus Dei præcepto institutum est: presbyterum ad rem diuinam faciendam cooptari. Neque uerò, quod ait*

Aug.

Refutatur.

ait. Quoniam ante se alterum Timotheus non habebat, Episcopus erat; *id profectò est, ut intelligamus Episcopum esse, quo alter Sacerdos superior non sit. Nam qui Archipresbyteri nuncupantur, cùm Ecclesiæ deest, qui præsideat, cæteris omnibus præferuntur. Verùm, ut id assequatur, qui præficiendus est, ei satis non esse fungi Sacerdotio, sed hoc omne necessarium, quod Apostoli Domini mandato instituerunt. Paulum enim, ut Timotheum Episcopum à se ritè cooptatum esse ostéderet, πρεσβυτήριον, hoc est Episcopos adfuisse more maiorum in eo consecrando, dixisse, qui locum illum explanauerunt, intellexere. Quapropter Sacerdotio praeest Pontifex eâ potestate, quam diuinitùs, cùm consecraretur, accepit: presbyteri uti Sacerdotes inferiore positi loco ei parêre coguntur. Quid Augustinum intulisse arbitrantur? nunquid aliud, quàm esse presbyteros, qui Episcopi non sint: qui Sacerdotes non sint, Episcopos non esse? illos proximè ad hos accedere: cæteros ordines Ecclesiasticos multùm abesse? At quid est illud, quod ille idem ait, In Alexandriâ, & per totum Aegytum si desit Episcopus, presbyterum consecrare? Quid aliud, nisi quiddam id genus, quod interdum Pontifex Romanus necessitatis causâ permisit; nimirùm ut, quod est proprium munus Episcopi, obeat Sacerdos? Nũ ad rei naturam attinet? num ad quæ per se est præstantia personæ, spectat? num proprium officium attingit, quod in ea conijcitur, quæ præter ius, præ-*

térque normam diuinitùs institutam accidere dicitur? quod uenia datur? quod tempus, & necessitas flagitat? An putant plus illâ ætate presbyteris, cùm initiarétur, deferri, quàm nostrâ, qua & sacrificandi, & ligandi, absoluendique, atque abluendi, & docendi tribuitur potestas? atque ita quidem, ut rei diuinæ faciundæ libertatem habeant, cùm uelint: ligandi, absoluendíque, & abluendi, atque docendi nunquàm, antequàm ab Episcopo accipiant. Naturâ sanè comparatum est, & diuinâ lege constitutum, quemadmodùm ait diuus Thomas, ut Episcopis presbyteri pareant, nihílque quod propriè priuatimq; ad eos pertineat, eorum iniussu exequantur. At negare potest nemo Episcopis iurisdictionem à Pontifice Maximo præberi. Assentimur, quod sumunt, tanquàm minimè controuersum; si accipitur, ut nos exposuimus. Inficiamur sequi, ut ne in iuredicendo sint ex diuinâ institutione presbyteris Episcopi superiores. Ad hoc confirmandum sumo iure diuino Pontificem Maximum creare Episcopos oportere; eisque Ecclesias regendas cum ipsâ iurisdictione deferre; nequâ in parte desit, qui, ut pastor ritè cooptatus, pascat oues Domini Deíque nostri; quod illi etiam concedunt: ac nemo in dubiũ uocare debet, qui nôrit illud Dei mandatum, Petre amas me; pasce agnos meos: & pasce oues meas; *& quæ Ecclesia tradidit; & quæ cùm omnes prisci Patres sanctissimi docuerunt, tum Clemens ille Romanus, qui refert, quæ à Petro ipse acceperat,*

Obiicitur.

Refutatur.

Clemens Papa.

ceperat à Chriſto Domino fuiſſe conſtituta. In his hoc ipſum eſt, quod agitur: cùm etiam ipſe Catherinus eorum, qui contradicunt, Anteſignanus aſſerit Epiſcoporum & ordinem & officium ad ius diuinum deferri, tanquam inuentum, inſtitutúmque à CHRISTO, *qui iuſſit Petrum, ut ſæpiſſimè inculcatum eſt, paſcere oues ſuas; cæterósque Apoſtolos creauit Epiſcopos his uerbis:* Sicut miſit me pater, & ego mito uos. Accipite Spiritum ſanctum: Ioan. 20. *& quæ ſequuntur. Atque concludit; à quacunque poteſtate, quæ infra Deum ſit, effici non poſſe, ne ab ipſo quidem ſummo Pontifice, qui Dei uicem, noménque obtinere propter eccellentiam dicitur, ut ne Epiſcopi, eorúmque munia ſint in Eccleſiâ. Atqui Epiſcopos Deus inſtituit ad opus exequendum, nempe, ut Paulus teſtatur, ad Eccleſiam regendam. Regi Eccleſia non poteſt ſine iuriſdictione. Itaque ſequitur, cuius mandato Epiſcopi creantur, eiuſdem iuſſu eis iuriſdictionem mandari. Prætereà quicquid à Deo conſtituitur, ac datur ad Eccleſiam ædificandam, id omne diuinum eſt. Petro, & cuique ſucceſſori data eſt gubernatio, & iuriſdictio ad Eccleſiam conſtruendam. Tota igitur Eccleſiæ gubernatio, totáque in eam iurisdictio diuina eſt. Quod totum eſt diuinum, eius quoque partes diuinæ ſint neceſſe eſt, modò generis eiuſdem notione comprehendantur. Pars gubernationis ac iuriſdictionis, quæ datur Epiſcopo, eiuſdem generis eſt, ut docet Aquinas, ac tota illa, quam obtinet Pontifex Maximus.* D.Thomas.

Itaque eam esse planè diuinam concedant, oportet. Quod est diuinum id uel à Deo proximè habetur, uel ab homine Dei mandato. Quamobrem consequitur, ut Ecclesiæ gubernatio, & iurisdictio, quæ Episcopo mandatur, si non proximè à Deo defertur, deferatur necesse est ab homine Dei præscripto. At iurisdictio committi à Pontifice Romano delegarique solet, quam diuinam dixerit profectò nemo. Sed multùm interest, sitne res ipsa Dei præcepto ordinata, an hominis uoluntate, nutúque delegata. Ipsa iurisdictio non est eiusdem generis in eo, cui delegatur: atque in eo qui delegat. Facultas enim iurisdicendi, quam Deus instituit, quæ à Deo, uel proximè sumitur, uel eius mandato; ita diuina est, ut delegari non queat, quin mutet genus. Fit enim humana, cùm delegatur: atque incidit in genus eorum, quæ accidere dicuntur: cùm sit planè per se in eo, qui delegat. Iam uerò officium mandatur cum potestate: officium Episcopi sic ab Ecclesiâ definitur, ut eum oporteat iudicare, interpretari, consecrare, consignare, initiare. Munus Episcopium à Deo fuisse constitutum non semel ostensum est: omnes quoque assentiuntur uim interpretandi, & consecrandi, & consignandi, & initiandi suscipi à Deo. Quid est, ut iudicandi inficientur? cùm unà, ac pariter ab Ecclesia, quæ ad Episcopi officium attineant, in eo consecrando percenseantur. Tum uerò Deus Apostolis, tanquàm Episcopis, præbuit potestatem iudicandi, quæ in Ecclesia perpetuò permaneret; non, ut iam ostendi-

Obiicitur. / Refutatur. (margin notes beside "deferatur necesse est..." and "solet, quam diuinam...")

ostendimus; quæ in iis finem haberet: nisi existimant non rectè Christianam Rempublicam, & Hierarchiam fundatam esse. Episcopi Apostolorum muneri Pontificio succedunt, eâ saltem in parte, in qua regendam Ecclesiam suscipiunt: consequens est, ut eâ quidem sanè in parte diuinitùs habeant iudicandi potestatem. Quod sumimus, Lucas nos docuit. quod assumimus, Anacletus, Euaristus, Pius, Vrbanus, cæteri Pontifices Maximi, quorum nomina longùm esset proferre, tradiderunt. Postremò, quod non semel commonuimus, etsi iurisdictio à summo Pontifice præbetur, potestas iuris dicendi à Deo quidem omnino defertur, ut illâ Episcopus utatur, uti nequit regendæ Ecclesiæ potestate, qui ei non præest, nec supra omnes est, quos ea complectitur. Quapropter Episcopus, ut potestate diuinitùs susceptâ utatur, sit presbyteris Ecclesiæ, quam regit, addictis superior, necesse est: & quidem eo iure quo illâ sumit. sumit iure diuino: quippe, ut diximus, à Deo. Iam, Patres amplissimi, uidetis, quàm acri animo, & quàm uehementer utrinque pugnatum sit. Cum autem acies aduersaria, quanquam armis exuta non habet; quo nostri exercitus impetum sustinere possit, adhuc tamen dimicare audeat; ne finite eam malle non sine dedecore, quod uerum est, impugnare; quàm loco cedere: sed tandem iubete manus dare, uictámque se omni peruicaciâ depositâ profiteri, aut certè à pugnâ abstinere, pacémque ut nobiscum habeant, optare. Quod sanè fecerint; si fa-

Luc. 22.

Pont. Romani.

Peroratio.

si facilè, quod postulamus, nobis concesserint: nempe diuino iure Episcopis suâ cuique in diœcesi esse residendum declarari. Audistis enim, Patres optimi, non aliam, qua residere cogamur, hac iuris diuini declaratione præstantiorem iniri posse rationem: atque hoc esse caput priscæ institutionis in Repu. Christianâ renouandæ: hoc proximum principium in pristinum splendorem Ecclesiæ restituendæ: hoc denique felix initium optatæ morum emẽdationis, qua nihil commodius posse reperiri, nihilque ualidius non modò ad omnem rerum Ecclesiasticarum abusum tollendum, sed etiam ad scholas, sectásque impietatis conuellendas; atque ad eos, qui ab Romano Pontifice desciuerunt, recipiendos, totus Christianorum cœtus arbitratur; idque à Deo optimo Maximo noctes diésque supplici precatione poscit. Ad hoc ipsum, uos orat, ut toto animo incumbatis, ne tandem re infectâ concilium dimittatur: illos etiam obsecrat, qui hactenus eos duces secuti sunt, qui scribendo contra hanc ueritatem arma mouerunt, ut eam non modò desistant oppugnare, sed & summâ alacritate suscipiant, defensámque, & saluam uelint. Audistis, deindè tantùm abesse, ut ea declaratio sit de potestate, quam Deus sedi Apostolicæ Romanæ dedit, detractura; ut ad eam quidem stabiliendam, ad recuperandum autem id omne, quod desciuit, nihil aliud plus uirium habere uideatur. Ad hoc ipsum planè statuendum accepistis etiam Episcopos esse à Deo constitutos, datásque eis pote-

state

ſtates, quibus illi eſſent perfuncturi: nec ſanè ut, tanquàm in Eccleſiâ dominarentur, onere alijs impoſito honoris nomen retinerent, diuitiisque afflue-rent: uerùm ut ei ſeruirent, & laborarent, & quibus commodis fruerentur, laboris eſſe fructum intelligerent, non dignitatis: ac par cùm ſit nullam meliùs fuiſſe unquàm Remp. eâ, quàm Deus conſtituit fundatam: Reipublicæ autem causâ magiſtratus inſtitui; non contrà, illorum gratiâ Remp. conſtitui conſueuiſſe; Epiſcopos, qui Eccleſiam adminiſtrarent, à CHRISTO *hac ratione eſſe ordinatos, ut unus eorum eſſet princeps, Eccleſiæque præeſſet, uniuerſæ; isque Pontifex Romanus, quippe ipſe Petrus, et quiſquis ei deinceps eſset in Apoſtolicum ſolium ſucceſſurus, cæteri in partem operis, ut dilucidè expoſuimus, uocarentur, ac ſuæ quiſque Eccleſiæ præſiderent. Hanc Remp. Chriſtianam Dionyſius ille Pauli diſcipulus Hierarchiam appellat: quam, ut Deus fundauit uſque ad ſæculorum omnium finem permanſuram; ſic aſſeramus oportet in eâ poteſtates, & magiſtratus, quos Hierarchas ille uocat, conſtituiſſe; ut cum eâ perpetuò durarent; & quidem ut Apoſtolis, quos illi Epiſcopos creaſſent, ſuccederent, his alij qui eſſent ſubſecuturi; ac planè in patrum filij locum perpetuâ quadam ſucceſſione conſtituerentur, & tanquàm principes orbi terrarum præeſſent. His clarè, & abundè, ut puto, demonſtratis, atque ſcripturæ auctoritate, ac teſtimonijs ſanctiſſimorum, doctiſſimorúmque Patrum, & ui ratio-*

rationum confirmatis, rem in eam conclusionem ueniße, ut iure diuino Episcopis in suâ cuique præfecturâ sit atque residendum. Accepistis postremò, ac potius aspexistis, cùm aduersarij aciem, ut in fugam exercitum nostrum uerterent, instruxissent, utrinque fortiter esse dimicatum. Ac tandem ijs uictis, pulsisque arma detracta, teláque coniecta perfracta esse. Reliquum igitur esset, ut dimicationis uictores nostri duces declararentur, atque id, de quo certabatur, in eorum præmium ueniret. At, Patres amplissimi, his eam laudem non quæro: quando ueritatis tuendæ causâ nostri concertârút, non gloriolæ cuiuspiam comparandæ. Sed, quæso, obsecremus illos, ut aliquando patiantur diuinum ius residendi inuictum remanere, & fallacijs præstigijsque eorum perspectis, qui ad illud reijciendum uires omnes ingenij contulerant, ne bellum renouent, at pacem nobiscum ineant: qua partâ unum simus, & unâ ui, atque unâ omnes animorum consensione coniuncti uerum amplectamur, ut Dei ministros decet, ad ea, quæ eius gloriam, ac decus attingunt, consectanda. Quoniam quidem Rem Christianam, ut incolumem uelitis, in hunc locum à PIO IIII. beatissimo ac prudentissimo Pontifice Maximo concilium conuocatum est: ut impietatis undique hostilis cinctam periculis summâ prudentiâ expliectis: ut ab hoste domestico, quem abusum appellant, liberetis: ut sanctissimis consultis renouetis: ut denique in pristinam dignitatem reuocetis.

Quod

Quod nũquàm profectò erit, donec, in cõtrouerſiam, quæ maiores noſtri perſpecta, non controuerſa unquàm habuerunt, adducemus. Ac, fore quidem, aut potiùs iam eſſe, non deſpero, ut omni contentione abiectâ, ad quod Reip. intereſt, animi ingeniique uires omnes intendatis: cùm iam ſummâ concordiâ quotidie conuentus agantur, & incredibili moderatione, non pertinaci dimicatione de rebus maximis diſceptetur. At, quod non puto, ſiqui in eâdem obſtinatione perſtiterint, qui non ſanè permulti erunt; ut, quod nos defendimus, ius diuinum nullo prorſus modo admittendum eſſe in animum inducant: non ueſtrùm eſt, Patres ſanctiſſimi, pertinaciâ paucorum adduci; ut, quod maximi ponderis eſt, negligatis. Ac ne, ſi multi quidem in eandem ſententiam irent, uobis hoc ipſum eſſet prætermittendum. Cùm enim id agitur, quod diuinum eſt, non permulti qui ſcripturam, & doctiſſimorum Theologiæ ſcriptorum monimenta uix primoribus labris attigerunt, quid ſentiant exquirendum eſt: ſed quid cenſeant Patres illi, qui in aſſiduâ de rebus diuinis diſceptatione, atque in ueri explicatione plures annos cõſumpſerunt. Qui ſi pauci admodùm eſſent, cùm in hoc ſacroſancto Concilio diuinæ ſcientiæ peritiſſimi non pauci profectò ſint; eorum eſſet, non multorum ſententia retinenda. Iam uerò, ſi ad eos, qui de reſidendo ſcripſerunt, ſpectemus; non modò plures, qui pro iure diuino defendendo in certamen deſcenderint, quàm qui illud ipſum impugnauerint, reperiamus; uerùm etiam

tiam eius rei, quæ tractabatur, longè peritiores. Quidnam Caietano illo Antistite, qui illustrissimum, amplissimúmque Romanæ Ecclesiæ collegium honestauit, ex disciplinâ Theologorũ doctius? Quid præclarius, quid mirabilius maiorum nostrorum sæcula habuerunt? Quid Bartolomeo Mirandâ Archiepiscopo Toletano sacris literis eruditius? quid accuratius in breuiter colligendo, quotquot unquàm habita concilia fuerunt? Quid utroque in benemerendo de sanctissimâ sede Apostolicâ præstantius? Vterque summâ contentione id molitus est, ut Pontifex Romanus ex diuinâ institutione, ut sanè quidem est, uniuersæ Ecclesiæ & princeps, & rector sit habendus, ac supra quodcunque generale concilium, extráque omne hominum iudicium ponendus. Quid Dominico Petróque Sotis hac ætate clarius, qui de rebus diuinis doctissimè, & accuratissimè scribendo, non modò in quo erant ordine Prædicatorum scripti, uerùm in toto Christianorum orbe maximam laudem sibi comparârũt? Quis ex celeberrimâ scholâ Aquinatis plus unquàm gloriæ consecutus est, quàm Iacôbus Naclantus Episcopus Clodiensis; cuius ut præsentiâ hoc ipsum concilium imprimis lætatur, sic etiam doctrinâ singulari plurimùm adiuuatur? Quid dicam de mirificâ eruditione Francisci Turrensis uiri tantæ lectionis, ut nihil in totâ scripturâ exaratum sit, quod non perlegerit; nihil occultum, quod non perspexerit; nihil ab hominum sensu uel acutissimo remotum, quod non animaduerterit; nihil deniqu-

nique Græcè; nihilque Latinè de Theologiâ memoriæ traditum ſit, quod non uiderit? Nec uerò auctoritas contemnenda eſt Franciſci Cordubenſis, quem ex ſanctiſſimâ ſodalitate à Diuo Franciſco conſtitutâ ob eius mirificam doctrinam, morúmque incredibilem probitatem religioſum ſuæ conſcientiæ iudicem, uitæque cenſorem elegit, ampliſsima illa, ac religionis Chriſtianæ obſeruantiſsima Romanorum Bohemorúmque Regina; in qua C A R O L V M .V. *eius patrem planè agnoſcas, præſertim cùm mirari ſatis non potuerit hoc loco de re tam perſpectâ, ac tam neceſſariâ diſceptari: atque ad hanc contentionem tollendam iudicium ſuum, ut mihi uidetur, ueriſſimum in mediâ Germaniâ adhibuerit. Nam uel uſque ad toto diuiſos orbe Britannos huius diſceptationis fama, ſermóque peruenit, atque utinam ſine inſigni labe noſtræ exiſtimationis. Omitto alios multis doctrinæ, pietatiſque notis inſignes, qui diſertè, & eruditè eandem quæſtionem pertractârunt. Qui contradixerunt non inficior perdoctos fuiſſe illos quidem; et quam artem profitebantur, antequàm Theologiam attingerent, in ea fermè ſummos; ſed qui in rerum diuinarum exactâ perfectâque cognitione, et in ſcholis eruditiſſimorum Theologorum non diutiſſimè plurimúmque uerſati eſſe uideantur. Quamobrem cùm res ipſa per ſe, ac ſuapte naturâ iam nota, compertáque ſit; ac ſatis ab ijs aſſerta, & defenſa, qui & ſcientiâ, & auctoritate cæteris omnibus antecellunt: obſecro uos, Patres optimi, ut iuris diui-*

ni

ni causam suscipiatis; Deíque mandato Episcopos in suâ quenque præfecturâ ad residendum compelli declaretis. Nec uos ad id prætermittendum impellat; nescio quæ inanis suspicio Apostolicæ potestatis minuendæ: quæ, cùm primùm de iure diuino agitur; quasi eius perspicientia sit Pontificis Romani maiestatem imminutura, quo illa constituta, stabilitáque est; ac res proponitur; quæ si decernatur, studijs nostrarum uoluptatum; nostræque ambitioni loci nihil sit relictura; Concilio statim obijcitur, ut pueris infantibus aui nomen & umbra, quem dum uiuerent, ij maximè timebant; ut sileant, desinántque petere, quod cupiunt. At prudenter sanè quidem matres hunc illis timorem inijciunt, qui puerili uanâque appetitione ducuntur, ac sæpe quod sibi obest, appetunt. Concilio autem eruditissimorum sanctissimorúmque patrum, qui optimo consilio, rectissimâque ratione utuntur; &, quod postulant, Christianæ Reip. prodesse animaduertunt; non uideo, quare incuti metum istum conueniat. nisi qui incutiunt uel pueros non esse, qui, quod poscimus, ignoremus; uel improbos, qui prudentes, quod malum est, uelimus, arbitrentur. Vtram de nobis habeant opinionem, considerent, quantâ nos afficiant ignominiâ: cùm uelle nequeat, quod Ecclesiæ non sit obfuturum, qui Pontificiæ potestatis sedis Apostolicæ Romanæ ullâ quicquam ex parte detrahere studeat. Nos autem ijs quidem facilè ignoscimus, cùm eiusmodi contumeliæ plagam sine ullâ difficultate ui-

temus;

temus; nec timeamus, nequam dedecoris notam famæ nostræ inurat; quæ etiam si inuratur, obtrectatoribus in tá maledicâ ætate ueniam demus. Atque eorum suspicionem bonam in partem accipimus: sed etiam atque etiam oramus, ut eam deponant, ac nobiscum Remp. Christianam capessant: cui quod sit profuturum, id in primis ad amplitudinem Pontificis Maximi tuendam spectare uelim, ut existiment. Quod certè faciant, si diuinum ius residendi nobiscum toto pectore amplexentur. At uos, Patres amplissimi, date operam, ne diutiùs, quod tam piè, támque iustè postulamus, differatur. Ac prospicite, ne uel oscitatio, uel dissimulatio hæc nostra ueri statuendi, det uulgo causam, aut de nobis non bene, aut de Pontificiâ dignitate non rectè sentiendi. Alterum enim de duobus esse contenderint, aut odio nos legem diuinam habere; ac niti, ne ea constringamur, ut, non quæ Dei sunt & Ecclesiæ, quæramus, sed liberè ac solutè commoda nostra consectemur: aut qua gloriamur Episcopiâ potestate, eam à Deo non esse institutam, nec præclarum ac diuinum quiddam habere, quo tantum uenerationis assequatur, ut non modò in summo dignitatis gradu sit collocanda, sed & Principibus, qui gentibus ac nationibus terrâ maríque imperant, populisque uniuersis timori maximo futura. Quis nam erit, qui ita, quæ ab homine quanta cunque auctoritate prædito, constitutæ sint potestates, ut quæ à Deo, reuereatur? Ex quo fiat oportebit, ut qui nos tan-

quàm Dei adminiſtros colere deberent, ijs ludibrio futuri ſimus. Ac ſi diuinorum myſteriorum, quæ diſpenſamus, plus rationis, quàm noſtrorum uitiorum habuerint; non erit, quin cùm in totum Concilium, tum in uos, Illuſtriſſimi Præſides, culpam huius hæſitationis ſint collaturi. cùm haud dubiè intelligant, ſi uelitis, ac iubeatis, ueſtrâ auctoritate quàm primùm fore, ut ius reſidendi diuinum eſſe ſtatuatur. Nec dubito, ſi ipſe Pontifex Maximus adeſſet, quin hoc idem iuberet. At uos, qui eius perſonam geritis, & quo res loco ſit, uidetis, agnoſcite quod ueſtrum eſt; ac prouidete, ut, quod principiò maxima pars Concilij popoſcit, diſertis id uerbis declaretur. Quod ſi ueſtro conſilio, ueſtrâque prudentiâ declaratum erit, præter quàm quòd, ſiquid dedecoris immineret, id omne uitaretur; nemo dubitauerit, quin ei, cuius locum obtinetis, uobis ipſis, uniuerſo denique Concilio ſit maximo decori futurum: quod non modò nullâ temporis longinquitate deleri poſſit; uerùm etiam apud Dominum Deum noſtrum adeò ualeat, ut tandem cuique ueſtrûm in cœleſti Regno gloriam afferat ſempiternam. Amen.

FINIS.